HERMENEUTICA BIBLICA

AUCTORE

FR. VINCENTIO ZAPLETAL

ORD. PRAED.

HERMENEUTICA BIBLICA

AUCTORE

FR. VINCENTIO ZAPLETAL

ORD. PRAED.

CUM APPROBATIONE
REVMI EPISCOPI GENEVENSIS ET LAUSANNENSIS
ET SUPERIORUM ORDINIS.

FRIBURGI HELVETIORUM
SUMPTIBUS B. VEITH BIBLIOPOLAE UNIVERSITATIS
1897

NOS FR. ANDREAS FRÜHWIRTH

SACRAE THEOLOGIAE PROFESSOR

AC TOTIUS ORDINIS PRAEDICATORUM

HUMILIS MAGISTER GENERALIS ET SERVUS.

Harum serie, nostrique auctoritate officii, facultatem quantum in nobis est, concedimus tibi R. P. Fr. Vincentio Zapletal O. P. Provinciae Imperii, ut possis typis mandare opus cui titulus: — *Hermeneutica Biblica* — a te compositum, de mandato nostro revisum et approbatum a duobus theologis Ord^is^ nostri, servatis de iure servandis. In nomine Patris et Filii et Spiritus S^i.^ Amen.

Datum Romae, in aedibus nostris, sub sigillo nostro die 7 Octobris 1896.

F. Andreas Frühwirth,
Magister Ordinis.

L. + S.

Reg. fol. 197

Fr. Reginaldus Beaudouin,
Provincialis Terrae S^ae^ Magister et Socius.

PRAEFATIO.

Habes prae manibus, optime lector, hermeneuticae biblicae manuale, quod quanam de causa iuris publici fecerim, his paucis accipe. Auditores mei, qui in Universitate Friburgensi apud Helvetios regulis hermeneuticis addiscendis operam navant, haud semel me rogaverunt, ut praelectiones meas typis mandarem. Votis eorum tandem obsequendum duxi, quia librorum qui de hermeneutica biblica agunt alii non amplius apud librarios inveniuntur, alii maioribus operibus introductionem in s. Scripturam pertractantibus adiecti sunt, alii vero tamquam manualia in praelectionibus meis minus apte queunt adhiberi. Fontes, e quibus singula hausi, quolibet loco indicare possibile non erat; iis quos in conspectu litterario refero auctoribus multa debeo.

Haec fere dicere habui de ratione operis.

Friburgi Helvetiorum, festo s. Joannis Apost. et Evangelistae 1896.

Auctor.

INDEX.

PROLEGOMENA.

PARS PRIMA.

PROPAEDEUTICA.

CAPUT I:

DE NOTIONE SENSUS.

CAPUT II:

DE SENSIBUS SACRAE SCRIPTURAE.

CAPUT III:

DE SENSU S. SCRIPTURAE LITTERALI.

CAPUT IV:

DE SENSU S. SCRIPTURAE SPIRITUALI.

CAPUT V:

DE SACRAE SCRIPTURAE ACCOMMODATIONE.

PARS SECUNDA.

HEURISTICA.

SECTIO PRIMA.

HEURISTICA RATIONALIS.

CAPUT VI:

DE USU LOQUENDI.

CAPUT VII:

DE CRITERIIS INTERNIS.

CAPUT VIII:

DE CRITERIIS EXTERNIS.

CAPUT IX:

REGULAE QUAEDAM SPECIALES.

SECTIO SECUNDA.

HEURISTICA CHRISTIANA.

CAPUT X:

DE REGULIS, QUAE EX INSPIRATIONE S. SCRIPTURAE DERIVANTUR.

SECTIO TERTIA.

HEURISTICA CATHOLICA.

CAPUT XI:

DE REGULIS INTERPRETATIONIS CATHOLICAE AB INTERPRETE OBSERVANDIS.

CAPUT XII:

DE QUIBUSDAM FALSIS S. SCRIPTURAM INTERPRETANDI PRINCIPIIS.

PARS TERTIA.

PROPHORISTICA.

CAPUT XIII:

DE VARIIS MODIS S. SCRIPTURAE SENSUM PROPONENDI.

APPENDIX.

HISTORIA EXEGESEOS.

CAPUT XIV:

DE INTERPRETATIONE JUDAEORUM.

CAPUT XV:

DE INTERPRETATIONE CATHOLICORUM.

CAPUT XVI:

DE INTERPRETATIONE PROTESTANTICA.

CORRIGENDA.

Pag. **1.** 9. ἑρμευεύειν lege *ἑρμηνεύειν*. — Pag. **7.** 1. qraecae l. *graecae*. — **7.** 6. lingiusticis l. *linguisticis*. — **9.** 35 Senae l. *Jenae*. — **17,** 3 ab inf. παρασειγμάτων l. *Παραδειγμάτων*. — **21,** 12 ὄυδαμῶς l. *οὐδαμῶς*. — **22.** 18 qua l. *quae*. — **24,** 8 potuismus l. *potuimus*. — **27.** 1 ab inf. duplicem l. *multiplicem*. — 32, 8 ab inf. ἀπορίζω l. *Α πορίζω*. — **34** 9. *Qraecos* l. *Graecos*. — **36.** 10 qua l. *quae*. — **39.** 8 indicet l. *iudicet*. — ib. 23 eium l. *enim*. — **40.** 8 ἕνα πληρωσῆ l. *ἵνα πληρωθῆ*. — ib. 10 dn l. *de*. — ib. 33 affirmetur l. *affirmatur*. — **42.** 16 indendit l. *intendit*. — **45.** 1 nihilominius l. *nihilominus*. — **92.** 1 ab inf. n l. *in*. — **94.** 18 omnibu l. *omnibus*. — ib. 19 uso l. *usos*. — **98.** 1 ab inf. 2 l. q. — **108.** 14 ab inf. diversu l. *diverso*. — ib. 3 ab inf. eum nos cum l. *cum nos eum*. — **112.** 9 in fine lineae addas: «*Prov. Deus*». — **130.** 11 narratur l. *narrantur*. — **145.** 1 ab inf. Hakkonen l. *Hakkohen*. — **148.** 10 liberalitiate l. *liberalitate*. — **149.** 1 exegitis l. *exegetis*. — **151.** 10 Originis l. *Origenis*. — **173.** 20 iu l. *in*. —

PROLEGOMENA.

§ 1.

Notio et divisio hermeneuticae.

Hermeneutica[1]) (ἑρμενευτική sc. ἐπιστήμη vel τέχνη vel διδαχή) *in genere* dicitur disciplina regulas complectens, quarum ope verus alicuius orationis sensus tutius erui et rite exponi potest.

Hermeneutica est ergo scientia vel ars interpretandi, id quod iam vocis etymologia significat; vox enim est originis graecae ab Ἑρμῆς (Mercurio), qui credebatur deorum nuntius et interpres.[1]) Inde ἑρμενεύειν idem est ac interpretari, praecipue e lingua peregrina in vernaculam vel aliam notam transferre.

Applicatio regularum hermeneuticae *exegesis* vocari solet, etsi vi etymologiae idem significet quod hermeneutica.[2])

Hermeneutica *dividitur*

1. Ratione *originis:* in *naturalem* et *artificialem.*

a) Hermeneutica *naturalis* ea est, quae procedit a natura sponte agente, quin adsit reflexio ad principia scientifica, cum sc. homo ex legibus cogitandi et usu loquendi generali sibi regulas interpretandi format.

b) Hermeneutica *artificialis* est systema regularum scientificum, quapropter se habet ad hermeneuticam naturalem tamquam perfectum ad minus perfectum.

2. Ratione *ambitus:* in *universalem* et *particularem.*

a) Hermeneutica *universalis* continet regulas interpretandi quodlibet genus librorum aut signorum.

b) Hermeneutica *particularis* restringitur ad aliquod genus librorum aut signorum; hinc sermo est de hermeneutica *iuridica, diplomatica, biblica.* Ipsam hermeneuticam biblicam aliqui subdividunt in *generalem* et *particularem,* prout totam sacram Scripturam respicit aut

---

[1]) Inde Lystrenses (Act. c. 4) Paulum et Barnabam deos esse credentes, hunc Jovem, illum Mercurium vocarunt, *quoniam ipse erat dux verbi* (v. 11).

[2]) Exegesis ab ἐξηγεῖσθαι i. e. sensum dicti obscuri explicare (cf. Joan. 1, 19).

solum aliquam eius partem, ut libros Veteris Testamenti tantummodo, aut libros Novi Foederis, aut etiam solos libros legales, propheticos etc.

Hermeneutica biblica in specie est igitur disciplina regulas complectens, quarum ope sensus s. Scripturae verus i. e. a Spiritu sancto intentus tutius erui et rite exponi potest. Obiectum materiale (seu id circa quod versatur) huius disciplinae est s. Scriptura seu libri canonici utriusque Foederis, obiectum autem formale (seu id quod in obiecto materiali respicit) sunt regulae interpretationis.

Hermeneutica biblica non est ars tantum sed etiam vere scientia, quia non solum regulas interpretandi proponit, verum eas quoque demonstrative probat, rationem earum evidentem reddit et scientifice de eis disputat, ex. gr. cur utendum sit usu loquendi, contextu, cur recurrendum sit ad Ecclesiae interpretationem etc.

Exegesis magis iam ad artis rationem accedit et nonnisi quotidiano, assiduo exercitio acquiritur.

§ 2.

Extensio hermeneuticae biblicae.

Cum hermeneutica biblica regulas s. Scripturam interpretandi proponat, tam late patet quam interpretis officium, quod tria complectitur:

1. ut sensum textus eruat,
2. ut sensum erutum explicet,
3. ut sensus eruti et explicati veritatem hermeneuticam (exegeticam) probet, i. e. argumentis exegeticis demonstret, illum sensum textui revera subesse.

Non est directe munus interpretis, probare objectivam veritatem sensus inventi neque ad interpretis officium spectat assignare textus ad usum homileticum, asceticum vel aestheticum, cur sc. hac vel illa imagine in hoc vel illo textu auctor sacer utatur et ita porro.

In expositione latiori tamen interpres utiliter quandoque profert solvitque objectiones principales contra obiectivam sensus detecti veritatem, indicat textus maioris momenti in theologia dogmatica vel morali et simul ad pulchritudinem dictionis attentionem trahit.

§ 3.

Hermeneuticae biblicae dignitas, utilitas, necessitas.

Cum scientia quaelibet dignitatem suam ab obiecto trahat, obiectum autem hermeneuticae biblicae sit ipsa S. Scriptura, liber librorum, continens normas principales credendorum et agendorum, patet eam esse dignissimam.

Eam esse utilem et necessariam concedet nobis, quicunque novit S. Scripturae *obscuritates* et *difficultates, nexum disciplinae nostrae cum aliis disciplinis biblicis* et *errores, in quos S. Scripturae interpretes optimae notae saepe lapsi sunt.*

1. Sacra Scriptura in multis locis obscura est et difficilis intellectu

a) ob *aetatem*, qua conscripta est. Etenim recentissimi libri sacri ante fere duo millia annorum exarati fuerunt, alii autem multo antiquiores sunt. Iamvero temporibus illis antiquis aliae erant consuetudines, alii mores, alii ritus publici et privati, a nostris non parum discrepantes; sed auctores sacri illas res, utpote coaevis notas, non semper distincte describunt, sed saepissime brevissime tantum tangunt. Multae res, quae vocibus exprimuntur, a quibus tropi desumuntur, ad quas alluditur, differunt a nostris. Erraret ergo vehementer, qui res nostri temporis in S. Scripturam inferret.

b) Ob *patriam* suam. Libri sacri enim in oriente conscripti fuerunt in regionibus, quae neque nunc post tot explorationes sufficienter notae sunt. Aliae ibi inveniuntur res in regno animali et vegetabili alii vivendi mores quam in regionibus nostris.

c. *Linguae,* in quibus Libri sacri exarati fuerunt, hodie non tantum emortuae, sed magna ex parte etiam deperditae sunt, ita ut multarum vocum significationes nonnisi e dialectis cognatis eruantur.

d. *Argumentum* librorum sive historicum sive dogmaticum sive propheticum multas creat difficultates. Historia, quam S. Scriptura refert, ob antiquitatem suam difficilis est neque sufficienter illustratur historiis populorum vicinorum, quippe quae magna ex parte deperditae sint. Pars dogmatica non tractatur systematice, sed sparsim in diversis locis refertque res non semel excedentes naturalem vim rationis humanae. Difficiles sunt etiam textus prophetici, sive futura praedicunt sive praeterita aut auctoribus coaeva delineant.

Quam difficultatem[1]) comprobant omnia illa opera, quorum scopus est, sensum sacrae Scripturae nobis aperire. Hinc illae innumerae glossae, postillae, scholia, commentarii, introductiones biblicae, historiae biblicae etc. a viris eruditissimis compositae.

2. Patet utilitas et necessitas hermeneuticae biblicae e nexu eius cum aliis disciplinis biblicis, uti sunt: historia, archaeologia, critica sacra; harum enim rectum usum indicat hermeneutica biblica.

3. Historia docet, interpretes S. Scripturae vel eos qui summi erant ingenii et per totam vitam studio S. Scripturae operam navarunt, quandoque errasse. Si autem tales ac tanti viri se ab omni errore praeservare non potuerunt, multo minus nobis id erit possibile, nisi principiis hermeneuticis solidissimis instructi simus.

Quam ob causam videmus, exegetas primi nominis nunquam studium regularum interpretandae S. Scripturae neglexisse, etsi eas non

---

[1]) S. Petrus (2. Petr. 3, 16) illam difficultatem testatur quoad epistolas s. Pauli: «In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.»

didicerint sub nomine «Hermeneuticae biblicae». Tanquam fructus huius studii habemus illas praefationes ss. Patrum et interpretum, quas suis expositionibus praemiserunt. Recte igitur S. Hieronymus (epistola 53, 6 ad Paulinum) scribit «in Scripturis sacris sine praevio et monstrante semitam non posse ingredi» reprobatque praesumptionem eorum, qui S. Scripturam se intelligere eamque a quolibet exponi posse credunt: «sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant, scribimus indocti doctique poemata passim.» Non ergo negligentibus regulas hermeneuticas, sed studiosis patebit ingressus in sanctuarium Librorum sacrorum: «Deo placuit talibus rerum figuris abscondere sapientiam suam, non auferre studiosis, sed claudere negligentibus» (S. August. Enarr. in ps. 103).

§ 4.

Historia litteraria hermeneuticae biblicae.

Quemadmodum homines prius loquebantur et scribebant, quam ars grammatica exculta esset, et poetae carmina componerent, antequam Aristoteles regulas artis poeticae scriberet, ita quoque Scriptura sacra rite exponebatur, priusquam regulae hermeneuticae scientifice et systematice proponerentur. Postea autem, ut necessitas temporis ferebat, de regulis quae ad rectam Scripturarum intelligentiam conducerent studium diligens institutum est atque temporis decursu hermeneuticam biblicam a ceteris disciplinis sacris distinctam reperimus. Historiam disciplinae nostrae exhibituri, eam considerabimus primo apud Hebraeos, deinde in Ecclesia catholica, demum apud Protestantes.

I. Historia hermeneuticae biblicae apud Hebraeos.

Si a forma scientifica praescindamus, initia huius disciplinae apud Hebraeos detegimus. Libri enim sacri sacerdotibus et levitis traditi fuerunt, non tantum ut eos custodirent et populo legerent (Deut. 17, 18; 31, 9—13. 24—26), sed etiam ut eos exponerent et populo consilium quaerenti responderent (Deut. 17, 8—12; 21, 5). Qua ratione autem, qua methodo libros sacros exposuerint, ignoramus. Erat certe potius expositio practica, utilitati et necessitati fidelium inserviens innitebaturque praecipue traditioni et ex parte etiam prophetarum dictis, qui, utpote Spiritu S. repleti, sensum verum indicare poterant.

Plura nobis innotuerunt de tempore post captivitatem babylonicam. Iudaei paullatim, linguae suae vernaculae obliti, aramaicam adhibebant, quare pericopas Scripturae s., quae quolibet sabbato in synagogis legebantur (Luc. 4, 16 ss.; Act. 13, 27; 15, 21), eis exponere oportebat.[1]) Vestigia huius usus deprehenduntur iam mox post Israelitarum reditum in patriam (2. Esr. 8, 1—9), deinde in Targumim et in nominibus

---

[1]) Praelectioni textus additas fuisse expositiones, testatur Luc. 4,16 ss. Act. 13, 15 ss.

«scribarum», «legisperitorum», «legis doctorum» (*γραμματεῖς, νομικοί, νομοδιδάσκαλοι* saepe occurrentibus. In expositione non omnes iisdem utebantur principiis. Alii enim litterae nimis adhaerentes, saepe translate dicta in sensu proprio exponebant, alii allegoricis expositionibus nimis delectabantur, alii sensum verum pravis traditionibus humanis corrumpebant (Marc. 7, 6 ss).

Has vias secuti sunt etiam Iudaei post Christum, quin tamen hermeneuticam biblicam ex professo exponerent. Quaedam principia de modo explicandi S. Scripturam indicat Aben Ezra († 1167) in Praefatione ad suum comment. in Pentateuchum et Maimonides († 1204) in opere מוֹרֵה הַנְּבוּכִים.

II. Historia hermeneuticae biblicae in Ecclesia catholica.

A. In Ecclesia antiqua.

Apostoli, qui a Christo Domino veram S. Scripturae interpretandae rationem acceperunt, regulis hermeneuticis in systema scientificum redactis non indigebant ipsique data occasione sensum Verbi sacri fidelibus aperiebant. Sicut in synagogis s. Scriptura legebatur, ita quoque in coetibus christianorum, quia «Omnis Scriptura» ut dicit S. Paulus (2 Tim. 3, 16 s.) «divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus» et «ut per consolationem Scripturarum spem habeamus» (Rom. 15, 4). Etiam apud Christianos praelectioni addebatur sacri textus expositio.

Patres, quos apostolicos vocamus, saepe quidem in scriptis suis textus sacros adhibent, sed commentarios non scripserunt neque nobis aliquot systema hermeneuticae scientificum reliquerunt sicut neque apologetae saec. 2., quorum studium non erat, S. Scripturam exponere, sed religionem christianam defendere. Floruerunt tamen eodem saeculo 2. viri, qui aliquas regulas hermeneuticas, licet sparsim, scriptis exararunt, uti *Melito Sardensis* in suo opere *ἡ κλείς*[1]); sed horum opera exegetica deperdita sunt. Plura habemus ab interpretibus, qui a saec. 3. vixerunt, uti sunt *Clemens Alex.*, *Origenes* (praecique in opere *περὶ ἀρχῶν* lib 4.), *Tertullianus, s. Joannes Chrysostomus* (ex. gr. Homilia in Jerem. 10, 33 et Homilia XV. in Joannem), s. *Hieronymus* in epist. ad Pammach. «de optimo genere interpretandi» et sparsim in commentariis). In secundo dimidio saec. 4. e schola Antiochena plura scripta exegetica prodierunt, quorum principia hermeneutica tamen nondum collecta habemus.[2])

---

[1]) Opus hoc non est identicum cum «S. Melitonis clavi» a Pitra in Spicilegio Solesmensi 1855 edita.

[2]) *Kihn,* «Die Bedeutung der antiochenischen Schule auf exegetischem Gebiete», 1866. *Specht,* »Der exegetische Standpunkt des Theodor v. Mops. und Theodor von Cyrus». 1871.

Primus autem, qui singulare opus de hermeneutica biblica conscripsit, fuit *s. Augustinus* († 430), motus ad hoc libro donatistae Tychonii an. circiter 390 conscripto, cui titulus est: «Septem regulae ad inquirendum et inveniendum sensum s. Scripturae». Quoniam Tychonii liber non omnino immunis erat ab erroribus neque omnia scitu necessaria referebat, S. Augustinus, perspiciens huiusmodi libri utilitatem, quatuor libros «De doctrina christiana» conscripsit, ob quos iure parens hermeneuticae biblicae appellatur. Rationem sui operis ipse describit in prologo: «Sunt praecepta quaedam tractandarum Scripturarum, quae studiosis earum video non incommode posse tradi, ut non solum legendo alios qui divinarum litterarum operta aperuerunt, sed et aliis ipsi aperiendo proficiant»; et libro 1. c. 1.: «Duae sunt res, quibus nititur omnis tractatio scripturarum: modus inveniendi, quae intelligenda sunt, et modus proferendi, quae intellecta sunt».

Ceteri, qui hoc aevo antiquo de principiis hermeneuticis scripserunt, sunt: *Adrianus,* monachus et sacerdos, qui in primo dimidio saec. 5. vixit et opus *εἰσαγωγὴ εἰς τὰς θείας γραφάς*[1]) (Migne p. gr. XCVIII, 1273—1312) conscripsit, in quo iuxta principia scholae Antiochenae locutiones figuratas s. Scripturae, praesertim antiqui Testamenti, exponit.

S. Isidorus († ca. 440) exposuit in suis epistolis (M. LXXVIII, 177—1646) principia hermeneutica scholae Antiochenae.

Eucherius Lugd. († ca. 453) ediderat duo opera hermeneutica: «Formularum spiritalis intelligentiae ad Uranium liber unus» (M. L, 727—772) et «Instructionum ad Salonium libri duo» (773—822).

Junilius Africanus scripsit an. ca. 551: «Instituta regularia divinae legis», ubi etiam regulas hermeneuticas docet (ed. H. Kihn, Friburgi 1880).

Aurelius Cassiodorus († 570): «Institutiones divinarum et saecularium lectionum».

B. In medio aevo.

Hoc tempore hermeneutica biblica minus excolebatur, quin tamen omnino negligeretur. Etsi enim libri speciales de regulis hermeneuticis non fuerint conscripti, inveniuntur hae nihilominus sparsim in commentariis ad s. Scripturam. Praecipue commemorandi sunt:

Beda Ven., Alcuinus, Rabanus Maurus: «De Clericorum instit.» III, 8 ss., *Hugo a S. Victore:* «Eruditionis didascaliae» praecipue l. 5., *S. Bernardus, S. Thomas Aq.* (Sum. theol. I. q. 1), *S. Bonaventura.*

Novum incrementum accepit studium nostrum saec. 14., postquam Concilium Viennense a. 1311 statuit, ut in academiis cathedrae linguarum

---

[1]) Titulus *εἰσαγωγή* hic prima vice occurrit et designat de facto id, quod nos hermeneuticam appellamus.

qraecae, hebraicae, chaldaicae erigerentur. Notatu digniores sunt: *Nic. Lyranus* († 1340) propter sua Prolegomena in «Postillas» et *Gerson* († 1429) opere: «Propositiones de sensu litterali Scripturae sacrae.» (ed. Paris. 1606 tom. I. p. 515 ss.)

C. Aevo recentiore.

Saeculo 16., propagatis studiis lingiusticis, inventa typographia, editis polyglottis ortoque protestantismo, necesse erat solidas regulas interpretandae Scripturae s. proponere. Paullatim ex hermeneutica biblica eliminatae sunt quaestiones, quas in ea auctores olim tractare solebant, quae autem ad criticam, ad dogmaticam aliasque scientias spectant, simul aliae regulae adjiciebantur, ut omnes hermeneuticae partes plenam haberent tractationem, et principia omnia ordine debito proposita, accuratius definita solidisque argumentis firmata sunt. Principaliores auctores sunt

Saec. 16:

Santes Pagnini Ord. Praed.: «Isagoge in sacras Litteras» et «Isagoge ad mysticos S. Scripturae sensus». Avign. 1525, Lugd. 1536. — *Ambrosius Catharinus* Ord. Praed.: «Claves duae ad aperiendas intelligendasque Sacras Scripturas». Lugd. Batav. 1548. — *Guillelmus Lindanus:* «De optimo sacras Scripturas interpretandi genere.» Colon. 1558. — *Sixtus Senensis* Ord. Praed.: «Ars interpretandi sacras Scripturas absolutissima» Venet. 1566 et «Bibliotheca Sancta», praecipue lib. 3 et 4, ubi de expositione S. Scripturae tractat. Haec duo opera magni semper habebantur, utpote optima post opus S. Augustini et simul fons recentiorum; propterea etiam saepius typis edita sunt. — *P. Ant. Beuter:* «Adnotationes decem ad S. Scripturam». Valentiae 1566. *Hofmeister:* «Canones ad interpretandas sacras Litteras». Paris 1573. — *Jos. Acosta* S. J.: «De vera Scripturas interpretandi ratione» in opere «De Christo revelato». Romae 1590.

Saec. 17:

Mart. Ant. del Rio: «Pharus sacrae Sapientiae». Londini 1608. — *N. Serarius,* S. J.: «Prolegomena Biblica». Mogunt 1612. — *Fab. Justiniani:* «De S. Scriptura». Romae 1614. — *Henr. Marcellius:* «Canones explicandae Scripturae». Herbip. 1653. «Ars interpret». Colon. 1658. — *Antonius a Matre Dei:* «Praeludia Isagogica ad sacrorum Librorum intelligentiam». Lugd. 1669. Mogunt. 1670. — *Joh. Nercassel:* «Tractatus de lectione sacrarum Scripturarum». Embric. 1677. Colon. 1680. — *Jos. Metzger:* «Institutiones sacrae Scripturae seu principia, regulae et instructiones de modo recte intelligendi et interpretandi s. Scripturam». Salisburgi 1680. — *J. B. Hamel:* «Institutiones biblicae». Paris 1698.

Saec. 18:

H. J. Brunet: «Manuductio ad s. Scripturam». Paris 1701. — *J. Martinianay:* «Traité méthodique ou manière d'expliquer l'Ecriture». Paris 1703. «Méthode sacrée pour apprendre et expliquer l'Ecriture Sainte par l'Ecriture même». ib. 1716. — *Joh. M. de Turre,* Ord. Praed.: «Institutio ad Verbi Dei scripti intelligentiam». Parm. 1711. — *J. Jos. Duguet:* «Règles pour l'intelligence de l'Ecriture Sainte». Paris 1716. — *H. A. de Graveson,* Ord. Praed.: «Tractatus de Scriptura sacra». Rom. 1715. — *G. Cartier,* O. S. B.: «Tractatus de s. Scr.». Aug. Vind. 1724. — *F. Kopf:* «Tirocinium s. Scr». Aug. Vind. 1763. — *J. M. Engstler:* «Instit. s. Scr.» Vien. 1775. — *Th. Holtzclau,* S. J.: «Inst. Script.» Virceb. 1775. — *J. J. Monsperger:* «Institutiones Hermeneutices V. T.» Vindob. 1776 et iterum 1781. — *Steph. Hayd:* «Introductio Hermeneutica in sacros N. T. libros». Vindob. 1777. — *H. Frida,* O. S. B.: «Institutiones Hermeneuticae V. T.» Prag 1777. — *Augustinus Eremita:* «Institutiones ad interpretationem S. Scripturae». Aug. Vind. 1779. — *Seb. Seemüller:* «Institutiones ad interpretationem s. Scripturae». Aug. Vind. 1779. — *D. Czerny:* «Instit. hermeneut. N. T.» Brun. 1780. — *A. Viser:* «Hermeneutica sacra N. T.» Budae 1784—5. — *C. Fischer:* «Instit. hermen. N. T.» Prag. 1788. — *Gr. Mayer:* «Institutio interpretis sacri». Vind. 1789. — *A. Zázio,* Ord. Praem.: «Institutio Hermeneuticae V. T.» Pest. 1796. — *L. Veith,* S. J: «Anleitung und Regeln zur nützlichen Lesung der hl. Schrift». Augsb. 1797. — *F. Fr. Azenberger:* «Brevis conspectus institutionum hermeneuticarum». Straubing. 1798.

Saec. 19:

J. B. Gerhauser: «Theoria Hermeneuticae s.» Diling. 1811; germanice ed. Lerchenmüller. Kemp. 1828. — *Joh. Jahn:* «Enchiridion Hermeneuticae generalis Tabularum V. et N. F.» Vien. 1812. Postea adjecit: «Fasciculos II Exercit. Exeget». Vien. 1813—5. Liber Jahnii ob nimiam cogitandi libertatem ab Ecclesia damnatus est. — *Altm. Arigler:* «Hermeneutica biblica generalis». Vien. 1813. Cum nimium secutus sit Jahnium, sensum mysticum eliminarit et vaticinia messianica meras accomodationes esse dixerit, liber eius damnatus est. — *G. Czuppon:* «Reflexiones hist. hermen. super Exegesi bibl.» Sopron. 1816. — *J. H. Janssens:* «Hermeneutica s.» Leod. 1818. Taur. 1858. Sed titulus non convenit libro, cum hic sit potius Introductio ad S. Scr. et de hermeneutica bibl. nonnisi paucissima contineat. — *J. Tumbacher:* «Vindiciae Joh. Jahn.» Lips 1822. — *C. Unterkirchner:* «Hermeneutica biblica.» Oenip. 1831 ed. 3ª curante J. V. Hoffmann. ib. 1846. — *J. Alzog:* «Explicatio catholic. system. de interpret S. Scr.» Monast. 1835. — *Georg. Riegler:* «Biblische Hermeneutik». Augsb. 1835 et 1847. — *Fr. Vogel:* «Die heil. Schrift und ihre Interpret. durch die heil. Väter». Augsb. 1836. — *Joan. Ranolder:* «Hermeneuticae biblicae

generalis principia rationalia, christiana et catholica». Quinque-ecclesiis 1838; ed. 2. Bud. 1859. — *V. Reichel:* «Introductio in Hermeneuticam biblicam». Vien. 1839. — *J. M. A. Löhnis:* Grundzüge der biblischen Hermeneutik und Kritik». Giessen 1839. — *C. G. Wilke:* «Die Hermeneutik des N. T. systematisch dargestellt». Leipz. 1843. 1844. Hoc opus edidit ut acatholicus; reversus in sinum S. matris Ecclesiae scripsit: «Bibl. Hermeneutik nach kath. Grundsätzen». Würzb. 1853. — *F. N. Patritius,* S. J.: «De Interpretatione Scripturarum Sacrarum». Rom. 1844. in conpendium red. Ratisb. 1860. — *C. Lomb:* «Biblische Hermeneutik». Fuld. 1847. — *G. J. Güntner,* Ord. Praem.: «Hermeneutica bibl. generalis iuxta principia catholica». Prag. 1848; ed. 3 ib. 1863. — *J. Kohlgruber:* «Hermeneutica biblica generalis». Vien. 1850. — *T. J. Lamy:* «Introductio in S. S. generalis». Lovan. 1866; ed. 5. Mechlin. 1893. — *Jos. Danko:* «De Sacra Scriptura eiusque interpretatione». Vindob. 1867. — *Fr. X. Reitmayr:* «Lehrbuch der bibl. Hermeneutik». Herausg. von Val. Thalhofer. Kempt. 1874. — *Joan. Pànek:* «Hermeneutica biblica in usum catholicorum s. Theologiae studiosorum». Olomuc. 1884. — *L. A. Schneedorfer,* Ord. Cist.: «Synopsis Hermeneuticae biblicae». Prag. 1885. — *R. Cornely,* S. J.: «Introductio Generalis in S. Scr.» Paris. 1885. — *Ub. Ubaldi:* «Introductio in S. Scr.» vol. III. ed. 3. Rom. 1886. — *Th. Le Blanc d'Ambonne:* «Le langage symbolique et le sens spirituel de Saintes Ecritures». Paris. 1889.

III. Historia hermeneuticae bibl. apud Protestantes.

Protestantibus, reiecta auctoritate Ecclesiae, opus erat regulis hermeneuticis, ne interpretes s. Scripturae apud eos in diversissimas abirent sententias. Et quidem primis temporibus protestantes ut regulam interpretationis supremam proponebant «analogiam fidei» aut «doctrinam librorum symbolicorum», quos a suis acceperunt; alii autem nulla regula se indigere asserebant, cum eis esset «lumen internum», de vero sensu s. Scripturae eos instruens. Hasce theorias propagabant usque ad medium saeculum 18. Opera in hoc spiritu conscripta sunt:

M. Flacii Illyrici: «Clavis Scripturae S.» Basil. 1567; deinceps saepius.

Sal. Glassii: «Philologia sacra.» Senae 1623 et saepius.

J. Rambach: «Institutiones hermen. sacrae.» Jenae 1723.

S. J. Baumgarten: «Unterricht von der Auslegung der heil. Schrift.» Halle 1742.

Medio saec. 18. apud protestantes invaluit rationalismus biblicus. Sicut enim primi protestantes Ecclesiae auctoritatem reiecerunt, ita nunc respuerunt principia suorum patrum, soli rationi propriae in exponenda s. Scriptura adhaerentes. Ceterum non adest unitas in eorum theoriis, sed inter se differunt iuxta diversa systemata philosophica, quae se-

quuntur. Tempore recentiore multi mythice s. Scripturam exponunt. Opera hermeneutica huius temporis notatu digniora sunt:

J. S. Semleri: «Vorbereitung zur theol. Hermeneutik.» Halle 1759 ss. «Apparatus ad liberalem N. T. interpretationem»; ib 1767. «Apparatus ad liberalem N. T. interpretationem»; ib 1773. Auctor systema accomodationis propugnans vere rationalismi biblici pater appellari potest.

J. A. Ernesti: «Institutio interpretis N. T.» Lips. 1767 et saepius. Est auctor scholae sic dictae philologicae.

P. L. Baueri: «Hermeneutica s. V. T.» Lips. 1797. «Entwurf einer Hermeneutik des A. und N. T.» 1799.

Opera haec rationalistica inter ipsos protestantes aliquos moverunt ad regulas hermeneuticas saniores statuendas, de quibus sicut et de aliis in nostra enumeratione omissis vide *H. Kihn:* «Encyklopädie u. Methodologie der Theologie» 1892. p. 191 ss. et *O. Zöckler:* «Handbuch der theol. Wissenschaft» 1884; ed. 3ª 1889. I, 1 p. 162 s.

§ 5.
Tractationis partitio.

Varium varii auctores in suis hermeneuticis sequuntur ordinem. Certe minime spernenda est divisio s. Augustini in duas partes: de sensu inveniendo et de sensu invento proponendo; primam aliqui *heuristicam,* alteram *prophoristicam* appellant. Quia autem antea sensuum s. Scripturae cognitione accurata indigemus et praeterea etiam historia exegeseos bene cognita perutilis est, hermeneutica nostra tres partes complectetur cum appendice, quae sunt:

I. de sensibus s. Scripturae (propaedeutica);
II. de sensu inveniendo (heuristica);
III. de sensu proponendo (prophoristica)[1];
IV. Appendix: de historia exegeseos.

---

[1]) Sixtus Senensis (Bibl. S. lib. 3 ed. Venet. 1575 pag. 254) primam partem «definitivam» appellat, alteram «inventivam», tertiam «dispositivam».

PARS PRIMA.

PROPAEDEUTICA
SEU DE SENSIBUS SACRAE SCRIPTURAE.

CAPUT I.
DE NOTIONE SENSUS.

§ 6.
Quid sit signum?

Homo prae ceteris huius terrae creaturis ratione et voluntate praeditus est. Quae autem cogitat et vult, praeter Deum nemini sunt nota, nisi ea revelaverit, quae revelatio neque est immediata neque fit ostensione rerum, quae sunt obiectum intellectus et voluntatis, sed fit ope signorum.

Signum definitur: Quod potentiae cognoscitivae aliud a se repraesentat.[1])

Signorum alia sunt *naturalia,* sicut gemitus quoad dolorem, fumus quoad ignem; alia *arbitraria,* sicut laurus quoad victoriam. Inter illa signa primum locum tenet *vox.* Diversis enim signis potest homo suas affectiones manifestare, sicut pallore vultus, risu, fletu, arte mimica. De histrione Roscio notum est, eum arte sua mimica ipsum Ciceronem ad certamen provocare ausum esse. Praecipue autem et perfectissime fit illa manifestatio *voce* et quidem articulata, quae *vocabulum* dicitur. Huiusmodi voces ex hominum institutione et conventione ideas et res significant.

---

[1]) S. Aug. (Doct. christ. l. 2. c. 1): «Signum est enim res, praeter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire: sicut vestigio viso, transisse animal, cuius vestigium est, cogitamus; et fumo viso, ignem subesse cognoscimus; et voce animantis audita, affectionem animi eius advertimus; et tuba sonante, milites vel progredi se vel regredi et siquid aliud pugna postulat, oportere noverunt.»

§ 7.

Notio significationis et sensus.

Vox habet significationem et sensum.

Significatio dicitur illa notio, quae voci in se spectatae subest.

Sensus autem dicitur notio, quam loquens vel scribens voce hic et nunc exprimit.[1])

Hinc voci plures significationes subesse possunt, sensus autem communiter unus tantum. Sic. ex. gr. vox «via» significat semitam, qua incedimus, et quia vita nostra itineri similis est, significat quoque vivendi rationem; porro significat legem, quae vivendi rationem praescribit et etiam illud, per quod ad finem desideratum homo pervenit. Omnes has vocis «via» significationes in s. Scriptura deprehendimus; de Magis, qui ab Oriente in civitatem Betlehem venerunt dicitur: (Mt. 2, 12) «alia via reversi sunt in regionem suam»; Jac. 1, 18: «Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis»; Act. 18, 15: «Hic erat edoctus viam Domini»; Joan. 14, 6: «Ego sum via et veritas et vita.» Et tamen sensus huius vocis in quolibet loco unus tantum est.

Inde fieri potest, ut alicui omnes vocis cuiusdam significationes sint notae, quin tamen sciat eius sensum seu id quod auctor hic et nunc exprimere intendit.

---

[1]) Sensus quandoque facultatem sentiendi significat et organa, quibus sensatio fit. Praetera etiam mente concepta sensus appellantur, quia, ut Quintilianus ait (Inst. 8, 5) «consuetudo obtinuit, ut mente concepta sensus vocaremus.» Et quia mente concepta vocibus exprimimus, his quoque sensum subesse dicimus, et ita sensum hic usurpamus.

CAPUT II.
DE SENSIBUS S. SCRIPTURAE.

§ 8.

Sensuum s. Scripturae notio et divisio.

Sensus s. Scripturae duplex est: *litteralis* et *spiritualis*.[1])

1. Sensus *litteralis* est, quem verba s. Scripturae immediate significant.

2. Sensus *spiritualis* (qui etiam *mysticus, typicus* dicitur) ille est, quem verba significant mediate i. e. mediantibus rebus vocibus immediate expressis.

Rationem huius divisionis exponit s. Thomas (I. q. 1. a. 10): «Auctor sacrae Scripturae est Deus, in cuius potestate est, ut non solum voces ad significandum accomodet, quod etiam homo facere potest, sed etiam res ipsas. Et ideo, cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsae res significatae per voces etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus vel litteralis. Illa vero significatio, qua res significatae per voces iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, qui super litteralem fundatur et eum supponit». Et (Quodl. 7. q. 6. a. 15): «S. Scriptura veritatem, quam tradit, dupliciter manifestat: per verba et per rerum figuras. Manifestatio autem, quae est per verba, facit sensum historicum seu litteralem; unde totum id ad sensum litteralem pertinet, quod ex ipsa verborum significatione recte accipitur. Sed sensus spiritualis consistit in hoc, quod quaedam res per figuram aliarum rerum exprimuntur, quia visibilia solent esse figurae invisibilium. Inde est, quod sensus iste, qui ex figuris accipitur, spiritualis vocatur».

Scholastici species sensuum s. Scripturae hisce duobus versibus [2]) indicabant:

---

[1]) Nomina haec probabiliter derivata sunt ex 2. Cor. 3,6: «littera occidit, Spiritus vivificat.»

[2]) Recentiores sunt versus sequentes, qui iam plenius naturam illorum sensuum ostendunt:

«Dicitur historicus, quem verba expressa designant;
Et allegoricus, priscis qui ludit in umbris;
Moralis, per quem vivendi norma tenetur;
Quid vero speres, anagogicus altius effert».

«Litera gesta docet; quid credas allegoria;
moralis quid agas; quo tendas anagogia». [1])

Noluerunt tamen scholastici hisce verbis quatuor sensus admittere, quia tres ultimi ad unum, spiritualem, pertinent. S. Thomas dicit (l. c.): «Veritas autem, quam s. Spiritus per figuras rerum tradit, ad duo ordinatur, sc. ad recte credendum et ad recte operandum. Si ad recte operandum, sic est sensus *moralis*, qui alio modo *tropologicus* dicitur. Si autem ad recte credendum, oportet distinguere secundum ordinem credibilium: ut enim Dionysius dicit, status Ecclesiae medius est inter statum Synagogae et statum Ecclesiae triumphantis. Vetus ergo Testamentum fuit figura Novi, Vetus simul et Novum figura sunt coelestium. Sensus ergo spiritualis, ordinatus ad recte credendum, potest fundari in illo modo figurationis, quo Vetus Testamentum figurat Novum, et sic est *allegoricus* sensus vel *typicus*, secundum quod ea, quae in V. Testamento contigerunt, exponuntur de Christo et Ecclesia; vel potest fundari in illo modo figurationis, quo Novum simul et Vetus significant Ecclesiam triumphantem, et sic est sensus *anagogicus*». Sic, ut exemplum afferamus, «Jerusalem» litteraliter est urbs Palaestinae; spiritualiter: *allegorice* Ecclesia militans, *moraliter* anima iusti, *anagogice* Ecclesia triumphans.

Ss. Patres alias divisiones proferunt, re autem cum nostra conveniunt. Aliqui, *Origenem* (De princip. 4, 11 sq.) secuti, de triplici s. Scripturae sensu loquuntur. «Triplex regula Scripturarum est, prima, ut intelligamus eam iuxta historiam, secunda iuxta tropologiam, tertia iuxta intelligentiam spiritualem. In historia eorum, quae scripta sunt, ordo servatur; in tropologia de littera ad maiora consurgimus et quidquid in priori populo carnaliter factum est, iuxta moralem interpretamur locum et ad animae nostrae emolumenta convertimus; in spirituali theoria ad sublimiora transimus, terrena dimittimus, de futurorum

[1]) Videntur illi versiculi magis distinctionem sensuum respectu argumenti indicare et ea exprimere, quae s. Augustinus dicit (Gen. ad. lit. l. 1. c. 1): «In libris autem omnibus sanctis intueri oportet, quae ibi aeterna intimentur, quae facta narrentur, quae futura praenuntientur, quae agenda praecipiantur vel moneantur». Si autem versibus illis exprimitur divisio in sensum litteralem et spiritualem, est imperfecta ex pluribus capitibus: 1. quia divisio est inaequalis, cum una pars sit generalis (sc. litteralis) et altera statim subdividatur; 2. quia sensus litteralis ita solas res historicas referret et tamen etiam sensus litteralis saepe est propheticus vel moralis vel speranda continet (propterea oportet eos, qui verbis «littera gesta docet» sensum litteralem intelligebant, ea exposuisse in sensu eo, quo etiam «historicus» apud antiquiores simpliciter nostrum litteralem designat; et ita intelligebat certe S. Thomas: «historia est, cum simpliciter aliquid proponitur» I. q. 1. a. 10 ad. 2); 3. sensus allegoricus ibi solus designare videtur credenda, cum tamen etiam sensu anagogico vel morali dicta saepe sint simul credenda, ut ex. gr. vita aeterna. Aut ergo ita loquebantur, quia obiectum sensus allegorici, Christus et Ecclesia, est principale obiectum fidei nostrae, aut quia obiectum sensus allegorici solum creditur, obiectum sensus moralis creditur et in opus deducitur et obiectum sensus anagogici creditur et speratur.

beatitudine et coelestibus disputamus, ut praesentis vitae meditatio umbra futurae beatitudinis sit». (S. Hier. ad Hedib. ep. 120, 12; cf. in Ezech. 16, 30 et in Am. 4, 6.) Verum ille sensus tropologicus aut litteralis est aut spiritualis aut mera accomodatio.

S. Augustinus (de utilitate cred. 3) s. Scripturam quadrifariam exponendam esse dicit «secundum historiam, secundum aitiologiam, secundum analogiam, secundum anagogiam», quae explicans s. Thomas (I. q. 1. a. 10, ad 2) ait: «Dicendum, quod tria illa, sc. historia, aitiologia, analogia, ad unum litteralem sensum pertinent; nam historia est, ut ipse Augustinus exponit, cum simpliciter aliquid proponitur; aitiologia vero, cum causa dicti assignatur, sicut cum Dominus assignavit causam, quare Moyses permisit licentiam repudiandi uxores, sc. propter duritiam cordis ipsorum. Analogia vero est, cum veritas unius Scripturae ostenditur veritati alterius non repugnare. Sola autem allegoria inter illa quatuor pro tribus spiritualibus sensibus ponitur».

Praeter sensum litteralem et spiritualem a nonnullis *consequens* et *accommodatus* seu *accommodatitius* enumerantur; at hi nonnisi improprie *sensus* dicuntur.

Sensu *consequente* alicuius textus s. Scripturae consectaria intelligunt, non illud quod directe vel indirecte exprimit, quapropter *sensus* Librorum sacrorum dici non potest.

Sensum *accommodatum* adesse dicunt, quando textus applicatur rebus ab Auctore sacro non intentis; ergo non est *sensus*, cum hic auctoris intentionem necessario involvat. «Quod attinet ad sensum accommodatitium, ille proprie non est sensus expositivus, sed per allusionem unius rei ad aliam ea, quae dicuntur de uno, applicat alteri per aliquam similitudinem, quod fit iuxta *arbitrium* dicentis, non iuxta *sensum* ab auctore Scripturae positum et intentum sive in vocibus sive in rebus». (Joan. a S. Thoma, Quaest. 1ª Primae Partis, Disp. 2. art. 12.)

CAPUT III.
DE SENSU S. SCRIPTURAE LITTERALI.

§ 9.

Diversa nomina sensus litteralis eiusque partitio.

Sensum litteralem cum Doctore Angelico dicimus omne id, «quod ex ipsa verborum acceptione recte accipitur». Eum auctores non eodem nomine semper designant. Iam apud Graecos diversa nomina occurrunt: *κατὰ τὸ γράμμα, κατὰ τὴν ῥῆσιν, κατὰ τὸ ῥητόν* et etiam *κατὰ τὴν ἱστορίαν.* Apud Latinos primis tribus vocibus correspondet sensus *litteralis,* quartae sensus *historicus.* Primum nomen (litteralis) ei imponitur propter verba, a quibus immediate dependet, alterum innuit respectum ad prophetiam sensus spiritualis. Recentiores eum etiam *grammatico-logico-historicum* appellant propter leges, quas in eo eruendo observare oportet.

Sensus litteralis ob styli, argumenti, claritatis etc. diversitatem varie dividitur:

1. respectu *dictionis:* in *proprium* et *improprium.*
   a) *Proprius* est, si verba sumuntur in sua significatione propria i. e. ordinaria, nativa;
   b) *improprius* dicitur, quando verba sumuntur in significatione translata; quare etiam sensus litteralis *translatus* appellatur.

«Per litteralem sensum potest aliquid significari dupliciter: secundum proprietatem locutionis, sicut cum dico: homo ridet; vel secundum similitudinem seu metaphoram, sicut cum dico: pratum ridet. Et utroque modo utimur in s. Scriptura, sicut cum dicimus quantum ad primum, quod «Jesus ascendit», et cum dicimus, quod «sedet a dexteris Dei», quantum ad secundum. Et ideo sub sensu litterali includitur parabolicus seu metaphoricus.» (S. Thomas ad Gal. c. 4. lect 7.) Ratio est, quia translate dicta immediate conceptum loquentis exprimunt: «Non enim, cum Scriptura nominat Dei brachium, est litteralis sensus, quod in Deo sit membrum huiusmodi corporale, sed id quod per hoc membrum significatur, sc. virtus operativa» (id. I. q. 1. a 10 ad 3.). Fundamentum huius doctrinae est distinctio sensus a significatione.[1]

---

[1]) Ad quod non attendens Nic. Lyranus (Prolog. in moralitates Bibl.), sensum improprium spirituali adnumerat.

Quia Sanctorum Patrum aliqui, ut s. Augustinus (De Doctr. christ. 3,5 al.), S. Hieronymus (adv. Lucifer. 26), saepius affirmant, locutiones figuratas non esse «ad litteram» accipiendas, recentiorum nonnulli *sensum litterae* a *sensu litterali* distinguunt, at inutiliter.

Locutio impropria aut se extendit ad unam ideam tantum aut ad totam sententiam; in hoc altero casu sensus dicitur allegoricus[1]) (allegoria classica).

Sensus improprius ad unam ideam tantum se extendens est aut *metaphoricus* aut *synecdochicus* aut *metonymicus* aut *ironicus*, pro ratione tropi vel figurae. Ironia, quae est amara et odio plena, *sarcasmus* dicitur; exemplum huius exhibetur Luc. 23,39.

Allegoria classica tres continet species: *fabulam, parabolam, exemplum.*[2])

α) ***Fabula*** est narratio rei confictae, ex. gr. si Iud. 9, 6—21 arbores sibi regem eligunt.

β) ***Parabola*** est narratio rei confictae ut vere factae; inde assumitur e rebus, quae contingere solent, ex. gr. relatio Luc. 15, 11 ss. de filio prodigo.

γ) ***Exemplum*** refert factum historicum quale a multis dicitur adesse ex. gr. Luc. 10, 25—37 in narratione de homine, qui incidit inter latrones.

Sacri Scriptores hisce utuntur, tum ut attentionem audientium et legentium acuant, tum ut veritates abstractas captui omnium accomodent et memoriam adiuvent, tum etiam ut cogant quosdam ad assentiendum veritatibus, quas secus non admitterent.

Non tropus vel allegoria sed comparatio adest, si similitudinis particula adjungitur, et tunc est sensus litteralis proprius.

2. Respectu *argumenti* sensus litteralis dividitur: in *historicum, propheticum, dogmaticum, moralem, anagogicum.*

a) *Historicus* est, qui gesta narrat,

b) *propheticus* futurorum praedictionem continet,

c) *dogmaticus* credenda refert,

d) *moralis* est, qui mores instruit,

e) *anagogicus*, qui speranda docet.

---

[1]) Allegoria nomen suum inde sumit, quod aliud verbis, aliud sensu dicit: *ἄλλος* et *ἀγορέω*. cf. s. Thom. (in Is. 14, 4): «Parabola est sermo similitudinarius, qui aliud dicit et aliud significat.»

[2]) *παρασειγμάτων δ' εἴδη δύο ἓν μὲν γάρ ἐστι παραδείγματος εἶδος τὸ λέγειν πράγματα προγεγενημένα, ἓν δὲ τὸ αὐτὸν ποιεῖν. τούτου δ' ἓν μὲν παραβολή, ἓν δὲ λόγοι.* (Aristoteles, Rhetorices lib. 2. c. 20).

Haec autem membra non se excludunt; potest enim ex. gr. textus historicus simul includere moralem, ut saepe fit, cum facta historica in s. Scriptura non referantur ad hoc, ut historiam simpliciter cognoscamus, sed ut eis moveamur ad bene agendum.

3. Respectu *exclusionis* dividitur: in *exclusivum* et *cumulativum.*

a) *Exclusivus* est, si praeter rem expresse commemoratam omnes aliae ex mente auctoris excluduntur.

b) *Cumulativus,* si obiecta expresse non commemorata non excluduntur.

4. Respectu *scriptoris:* in *obiectivum* et *subiectivum.*

a) *Obiectivus* est, si a Spiritu S. intentus est;

b) *subiectivus* dicitur ille, quem auctor sacer intellexit.

Fundatur haec divisio in suppositione, auctores sacros quandoque totum sensum, quem Spiritus s. intendebat verbis exprimere, assecutos non esse, ut ex 1. Petri 1, 10—12 concludi potest de prophetis. [1]) Interpretis est, eruere sensum a Spiritu s. intentum.

5. Respectu *veritatis exegeticae* sensus litteralis esse potest:

a) *obiective et exegetice verus.* Est obiective verus, si illud, quod sensus alicuius textus dicitur, in se verum est; dicitur exegetice verus, si illud, quod sensus dicitur, in textu cuius sensus est, revera invenitur.

b) *obiective verus et exegetice falsus;*

---

[1]) «In revelatione prophetica movetur mens prophetae a Spiritu sancto sicut instrumentum deficiens respectu principalis agentis. Movetur autem mens prophetae non solum ad aliquid apprehendendum, sed etiam ad aliquid loquendum vel ad aliquid faciendum; et quandoque quidem ad omnia tria simul, quandoque autem ad duo horum, quandoque vero ad unum tantum; et quodlibet horum contingit esse cum aliquo cognitionis defectu. Nam cum mens prophetae movetur ad aliquid aestimandum vel apprehendendum, quandoque quidem inducitur ad hoc, quod solum apprehendat rem illam; quandoque autem ulterius ad hoc, quod cognoscat haec sibi esse divinitus revelata. Similiter etiam quandoque movetur mens prophetae ad aliquid loquendum, ita quod intelligat id, quod per haec verba Spiritus sanctus intendit, sicut David, qui dicebat 2. Reg. 23: «Spiritus Domini locutus est per me». Quandoque autem ille, cuius mens movetur ad aliqua verba exprimenda, non intelligit, quid Spiritus sanctus per haec verba intendat, sicut patet de Caipha Joan. 11. Similiter etiam cum Spiritus sanctus movet mentem alicuius ad aliquid faciendum, quandoque quidem intelligit, quid hoc significet, sicut patet de Jeremia, qui abscondit lumbare in Euphrate, ut habetur Jer. 13. Quandoque vero non intelligit, sicut milites dividentes vestimenta Christi non intelligebant, quid hoc significaret. Cum ergo aliquis cognoscit se moveri a Spiritu sancto ad aliquid aestimandum vel significandum verbo vel facto, hoc proprie ad prophetiam pertinet. Cum autem movetur, sed non cognoscit, non est perfecta prophetia, sed quidam instinctus propheticus. Sciendum tamen, quod quia mens prophetae est instrumentum deficiens, etiam veri prophetae non omnia cognoscunt, quae in eorum visis aut verbis aut etiam factis Spiritus sanctus intendit» (S. Thomas, 2. 2. q. 173. a. 4.).

c) *obiective falsus et exegetice verus;* obiective potest esse falsus in verbis hominum fallibilium, quorum verba s. Scriptura refert.

d) *obiective et exegetice falsus.*

6. Respectu *soliditatis exegeticae sensus est: innatus, illatus, extortus.*

a) *Innatus* dicitur, si textui revera inest;

b) *illatus,* si ab interprete verbis infertur, etsi haec eum non contineant;

c) *extortus* est, quando simul apparet violentia, qua sensus illatus textui interpretando infertur.

7. Respectu *certitudinis exegeticae: certus, probabilis, coniecturalis, improbabilis;*

a) *certus* est, si nulla adest formido oppositi;

b) *probabilis,* si solo argumento probabili innititur, ita ut formido oppositi adsit;

c) *coniecturalis* dicitur, si neque pro eo neque contra eum existit argumentum aliquod apodicticum, in favorem eius autem proferri potest ratio, quae hypothesi alicui incertae innititur. Sensus hic inferior est sensu probabili;

d) *improbabilis* dicitur ille sensus, in cuius favorem nulla ratio, contra eum autem saltem una ratio apodictica proferri potest.

8. Respectu *claritatis exegeticae: evidens, ambiguus, paradoxus, obscurus.*

a) *evidens* est, pro quo argumentum solidum et perspicuum militat;

b) *ambiguus* dicitur, si aliquo argumento positivo probari potest, sed praeter eum dictum interpretandum alium sensum admittit. Hinc patet differentia inter sensum probabilem et ambiguum: quilibet sensus ambiguus est probabilis, sed non omnis sensus probabilis simul ambiguus dici potest;

c) *paradoxus* est, cuius argumentum aliquam contradictionem implicare videtur.

d) *obscurus* adest aut respectu *argumenti* sui aut respectu *verborum,* quibus exprimitur; in primo casu obscuritas dicitur *realis,* qualis adest ex. gr. in dictis propheticis, ubi prolepsis (anticipatio) vel hysterosis (postcipatio) invenitur. Obscuritas *verbalis* adest ex. gr. in eis, quae ἅπαξ λεγόμενα vocantur, quorum significatio ignoratur, aut etiam in saepe dictis, de quorum significatione tamen non constat.

Sensus, qui ex voluntate auctoris obscurus est, *occultus* vocatur.

9. Respectu *criterii* exegetici sensus litteralis dicitur:
a) *philologice* et *traditionaliter demonstrabilis;*
b) *philologice* at non *traditionaliter* demonstrabilis;
c) *traditionaliter* sed non *philologice* demonstrabilis;
d) *neque philologice neque traditionaliter* demonstrabilis.

§ 10.

Ubiquitas sensus litteralis.

Erant, qui assererent, dari aliquos textus s. Scripturae sensu litterali carentes. Contra hos statuitur

Thesis: Sensus litteralis ubique in s. Scriptura invenitur.

Probatur 1. Auctor sacer, adhibens linguam humanam, eius naturam non mutat. Jam vero homo rationalis verbis suis sive proprie sive improprie aliquem sensum exprimere solet. Ergo etiam verba Scripturae sacrae hoc modo aliquid exprimunt i. e. sensum litteralem habent.

2. Absurdum est dicere, Spiritum sanctum quibusdam textibus nullum sensum intendisse; atqui textus sensu litterali carentes prorsus nullum sensum haberent, neque spiritualem, cum hic semper in litterali fundetur. Oportet ergo dicere, omnes textus s. Scripturae habere suum sensum litteralem.

Obi. 1. Quidam textus s. Scripturae in sensu litterali expositi turpe quid aut absurdum praeseferrent, quare eo sensu eos destitutos esse oportet, ut cum propheta Isaias (20, 2. 3) nudus incedere iubetur et prophetae Oseae (1, 2) praecipitur: «Vade, sume tibi uxorem fornicationum et fac tibi filios fornicationum».

Resp. Textus illi nihil turpe aut absurdum praeseferunt, dummodo rite exponantur. Quod spectat ad textum Isaiae, usus loquendi Orientalium est observandus, qui hominem saepe iam nudum dicunt, si sola tunica corpori immediate adhaerenti indutus sit. Verba a Deo prophetae Oseae dicta, non ita sunt explicanda, ac si Deus ei praecepisset, peccatum fornicationis committere. Aut enim sunt solum lucutio symbolica ad rem ulteriorem et sublimiorem designandam aut sunt actio symbolica, in qua tamen nihil mali invenitur. Propheta enim tunc iubetur mulierem, quae hucusque meretrix fuerat, uxorem sibi assumere, et quidem matrimonio honesto et legitimo. «Nec culpandus propheta... si meretricem converterit ad pudicitiam, sed potius laudandus, quod ex mala bonam fecerit». (s. Hier. ad h. l.). Et filii fornicationis tunc aut ii erunt, quos mulier iam prius habuerat quosque propheta nunc una cum matre accipit, aut filii nascituri quidem e novo matrimonio, sed «filii fornicationis» vocati ob vitam matris praeteritam.

Obi. 2. Origenes, quem multi ss. Patrum sequuntur, asserit inveniri in s. Scriptura textus, qui solum sensum spiritualem praeseferant.

«Trifariam» igitur, ait Origenes (περὶ ἀρχῶν 4, 11), «describendae in mente sunt sanctarum Litterarum sententiae: ut simplicior quidem, ab ipsa veluti carne Scripturae (σαρκὸς τῆς Γραφῆς), quo nomine obvium eius sensum appellamus. Qui vero aliquantum ascenderit, ab ipsa quodammodo anima eius (ψυχῆς αὐτῆς). Perfectus autem et iis similis, de quibus Apostolus dicit: «Sapientiam loquimur inter perfectos; sapientiam autem non huius saeculi etc.», a lege spiritali (ἀπὸ τοῦ πνευματικοῦ νόμου) umbram habente futurorum bonorum. Ut enim homo constat corpore, anima et spiritu, ita et Scriptura, quae divina dispensatione in hominum salutem data est». Et alibi: «Illud sane non ignorandum, esse quaedam in Scripturis, in quibus hoc quod diximus corpus, non semper invenitur (εἰσί τινες Γραφαὶ τὸ σωματικὸν ὄυδαμῶς ἔχουσαι), alicubi sola veluti anima et spiritus quaerendus est». (ib. 4, 12.). Quid sensu corporeo intelligat, exemplis illustrat: «Quis sanae mentis existimaverit, primam et secundam et tertiam diem, vesperam et mane, sine sole, luna, stellis, et eam, quae veluti prima erat, diem sine coelo fuisse? Quis adeo stolidus, ut putet Deum more hominis agricolae plantasse paradisum in Eden ad orientem, ubi lignum vitae posuisset, quod sub oculos et sensus caderet, ut qui corporeis dentibus fructum gustasset, vitam inde reciperet et rursus boni et mali particeps fieret, qui fructum ex hac arbore comedisset? Et cum Deus meridie in paradiso ambulare dicitur et Adam sub arbore delitescere, neminem arbitror dubitare, his figurate per apparentem historiam, quae tamen corporaliter non contigit, quaedam indicari mysteria» (οὐκ οἶμαι διστάξειν τινὰ περὶ τοῦ αὐτὰ τροπικῶς διὰ δοκούσης ἱστορίας, καὶ οὐ σωματικῶς γεγενημένης, μηνύειν τινὰ μυστήρια etc. ib. 4,16). Similiter loquitur de quibusdam legibus: «Si ad leges mosaicas veniamus, plurimae, si eas nude observari oporteat, absurdum, aliae impossibile praecipiunt. Absurdum est, vulturum esum prohiberi, cum nemo ne extrema quidem urgente fame eo adduci potuerit, ut ad istud animal confugeret. Octo dierum infantes non circumcisi, exterminari e genere suo iubentur, cum potius, si quid de his ad litteram servandis lege sanciendum erat, praecipi oporteret, ut eorum parentes vel eorum tutores interficerentur..... Quod si impossibilia, quae lege praecipiuntur, vultis noscere, animadvertamus, tragelaphum ex iis esse animantibus, quae consistere in rerum natura non possunt, quem tamen ut purum monet nos Moyses offerre. Gryphem nunquam auditum est, ab homine captum esse, quem nihilominus edi vetat legislator».

Resp. De Origenis mente auctores dubitant: nonnulli enim (e. g. Reitmayr, Al. Vincenzi: «In S. Gregorii Nysseni et Origenis scripta et doctrinam nova recensio». Vol. 2. c. 25—29. Romae 1864) Origenem solum sensum litteralem proprium (corporalem, carnalem) excludere voluisse credunt. Alii eum Philonis vestigiis nimis inhaerentem in quibusdam s. Scripturae locis omnem sensum litteralem negasse contendunt.

Quidquid de Origenis mente sentiendum, ss. Patres sensum litteralem omnibus locis Scripturae adesse dicunt. Scribit quidem s. Hieronymus de secunda circumcisione (Jos. 5, 2): «Hoc si iuxta litteram accipimus, penitus stare non postest. Si enim duplex haberemus praeputium vel excisa pellicula iterum nasceretur, recte secunda circumcisio haberet locum. Nunc autem hoc significatur, quod Jesus cultello Evangelii populum, qui per desertum venerat, circumcidit». [1]) Verum S. Hieronymus et ceteri Patres, apud quos similes locutiones occurrunt, non omnem sensum litteralem textui abiudicant, sed proprium solummodo, alibique expresse adhaerent s. Thomae sententiae: «Sensus spiritualis semper fundatur super litteralem et procedit ex eo» (Quodl. 7, q. 6. a. 16.). In confirmationem sint saltem aliqui textus: «*Verborum* s. Scripturae intelligentia imprimis quaerenda est et constituenda, non quia tropologicam intelligentiam condemnemus, sed *quia spiritualis interpretatio debet sequi ordinem historiae,* quod plerique ignorantes lymphatico in s. Scriptura vagantur errore» (S. Hieron. in Is. 13, 19). «Admonemus et quantum possumus praecipimus, ut quando auditis exponi sacramentum Scripturae narrantis, qua gesta sunt, prius illud factum esse credatis sic gestum, quomodo lectum est, ne subtracto fundamento rei gestae quasi in aëre quaeratis aedificare» (S. Aug. De tent. Abrah. serm. 2. 7). «Hoc magnopere petimus, ut qui ad spiritualem intelligentiam mentem sublevat, a veneratione historiae non recedat» (S. Greg. M. Moral. 1, 37).

§ 11.

De multiplici sensu litterali.

Sensum litteralem cuique s. Scripturae textui inesse, probavimus. Nunc vero alia exsurgit quaestio, num scilicet unus et idem textus plures sensus litterales continere possit. Recentiorum plerique [2]) negative respondent, aliqui tamen cum s. Augustino et cum theologis scholasticis possibilitatem, immo et existentiam sensus litteralis multiplicis in quibusdam s. Scripturae textibus admittunt. [3])

Quaestio est de sensu litterali stricte sumpto; non de aliqua accommodatione aut sensu consequente, neque ubique in s. Scriptura multiplex quaeritur, sed in aliquibus tantum locis. Praeterea monemus, sermonem non esse de diversis sensibus litteralibus, prout eos referant

---

[1]) C. Jovin. 1, 21; cf. *S. Ambrosii*: Expos. in Luc. 5, 93. 94; *Joan. Cassian.* Collat. 8, 3.

[2]) *Patricius S. J., J. Th. Beelen:* Dissertatio theologica, qua sententiam vulgo receptam, esse s. Scripturae multiplicem interdum sensum litteralem nullo fundamento satis firmo niti demonstrare conatur, Lovanii 1845. *Lamy, Cornely S. J., Knabenbauer S. J.,* (Stim. a. M. L. 1885. 7. Heft. S. 199 ss.). *Reitmayr, Schneedorfer* etc.

[3]) cf. hac de re praecipue *Fr. Schmid,* De inspirationis Bibliorum vi et ratione, Brixin. 1885 p. 235 ss.

diversae versiones etsi antiquae, sed de iis variis et disparatis, quos etiam textus originalis admittit.

Hisce praemissis sit

Thesis: Non est incredibile, aliquibus s. Scripturae textibus plures subesse sensus litterales. [1])

Probatur I. *Auctoritate Patrum.* Explicite sensum litteralem multiplicem admittunt s. Augustinus et s. Gregorius Magnus.

S. Augustinus saepius id facit idque in locis, ubi primus solida et catholica hermeneuticae biblicae principia statuit, et qui semper magno in Ecclesia habebantur pretio. Ita Confes. l. 12. c. 26 exponens primum vers. Geneseos ait: «Et ego, Deus meus, non possum minus credere de Moyse fidelissimo famulo tuo, quam mihi optarem ac desiderarem abs te dari muneris, si tempore illo natus essem, quo ille, eoque loco me constituisses, ut per servitutem cordis et linguae meae litterae illae dispensarentur, quae tanto post essent omnibus gentibus profuturae et per universum orbem tanto auctoritatis culmine omnium falsarum superbarumque doctrinarum verba superaturae. Vellem quippe, si tunc ego essem Moyses . . . et mihi abs te Geneseos liber scribendus iniungeretur, talem mihi eloquendi facultatem dari et eum texendi sermonis modum, ut neque illi, qui nondum queunt intelligere, quemadmodum Deus creat, tanquam excedentia vires suas dicta recusarent, et illi, qui hoc iam possunt, in *quamlibet veram sententiam* cogitando venissent, eam non praetermissam in paucis verbis tui famuli reperirent, et si *alius aliam vidisset in luce veritatis,* nec ipsa in eisdem verbis intelligenda deesset». Postquam retulerat diversas expositiones 1. versus Geneseos, ait (c. 30): «In diversitate sententiarum *verarum* concordiat pariat ipsa veritas. . . . Sed omnes, quod in eis verbis *vera cernere* ac *dicere* fateor, diligamus nos invicem, pariterque diligamus te, Deum nostrum, fontem veritatis, si non vane, sed ipsam sitimus; eundemque famulum tuum, Scripturae huius dispensatorem, spiritu tuo plenum, ita honoremus, ut hoc eum *te revelante,* cum haec scriberet, attendisse credamus, quod in eis maxime et luce veritatis et fruge utilitatis excellit.» Et paulo inferius (c. 31): «Ita cum alius dixerit: hoc sensit, quod ego, et alius: immo illud, quod ego; religiosus me arbitror dicere: *cur non utrumque potius, si utrumque verum est? Et si quid tertium, et si quid quartum. et si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur,* per quem unus Deus sacras Literas vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit? Ego certe,

[1]) Nos igitur hic de sola *possibilitate* sensus litteralis multiplicis quaerimus et reliqua *historice* consideramus, de mente s. Augustini, s. Thomae Aquinatis et Scholae disserentes. Inde etiam ad obiectiones ipsorum theologorum verbis respondemus, inquantum id possibile erat; alibi, ne nimis longi simus, sensum auctorum solummodo reddimus. Num textus e sacra Scriptura tamquam exempla multiplicis sensus litteralis a theologis in allegationibus nostris allati eum revera praeseferant, non quaerimus.

quod intrepidus de corde meo pronuntio, si ad culmen auctoritatis aliquid scriberem, sic mallem scribere, ut quod veri quisque de his rebus capere posset, mea verba resonarent, quam ut unam veram sententiam ad hoc apertius ponerem, ut excluderem ceteras, quarum falsitas me non posset offendere. Nolo itaque, Deus meus, tam praeceps esse, ut hoc illum virum de te non meruisse credam. *Sensit ille* omnino in his verbis atque cogitavit, cum ea scriberet, *quidquid hic veri potuismus invenire,* et quidquid nos non potuimus, aut nondum possumus, et tamen in eis inveniri potest.» Et (De Doctr. Christ. 3, 27): «Ille quippe auctor (sc. humanus scriptor) et ipsam sententiam forsitan vidit (quae scilicet vera est et lectori praeter principalem occurrit) et *certe Dei spiritus,* qui per eum haec operatus est, *etiam ipsam occursuram* lectori vel auditori *sine dubitatione praevidit, immo ut occurreret,* quia et ipsa auctoritate subnixa est, *providit.*»[1]) Allegationes hae rite intellectae ostendunt, s. Augustinum non tantum possibilitatem sed et veram existentiam multiplicis sensus litteralis admisisse, quod omnes concedunt, recentioribus quibusdam paucissimis exceptis.

S. Gregorius magnus exponens Ezech. 3, 13: «Vocem alarum percutientium alteram ad alteram» scribit (in Ezech. l. 1. hom. 10. n. 30 s.): «Non aperte dicitur, utrum unumquodque animal alas suas in semetipsis percutiat, an certe haec eadem sancta animalia alis suis se vicissim feriant. *Plerumque in sacro eloquio aliquid obscure dicitur, ut dispensante mirabiliter Deo multipliciter exponatur.*» Utraque expositio ut ex contextu patet, a S. Gregorio ut vera admittur; porro utraque est litteralis, quia super eas construit alias duas expositiones spirituales. Neque solum sensum litteralem ambiguum hic esse asserit, sed duos veros sensus, obscure quidem expressos, ut dispensante mirabiliter Deo textus multipliciter exponatur.

Favet huic sententiae praecipue *doctrina implicita* ss. Patrum. Novam enim alicuius textus expositionem proferentes, non improbant expositiones aliorum, immo unus idemque Pater in diversis locis diverso modo eundem textum exponit. Hoc autem facilius explicatur in hypothesi, ss. Patres sensum litteralem multiplicem admisisse.

Probatur 2. *Auctoritate Scholae.* Theologos catholicos fere omnes sententiam nostram admisisse iam ex eo deprehendimus, quod adversarii nonnisi paucissimos contra nos producere possint. Ita Patritius[2]) magno studio viginti circiter patronos invenire potuit, quo numero tamen Beelen multos omittendos esse dicit. Praeterea neque ii, qui remanent, sententiam negativam expresse docent, sed eorum opinio indirecte

---

[1]) Hic textus nonnisi cum praecedentibus comparatus vim probativam habet, quia per se non est sensus litteralis alicuius textus omne id, quod lectori vel auditori occurrit.

[2]) Institutio de interpretat. Bibl. pag. 34 ss.

tantum colligitur ex quibusdam eorum dictis.[1]) Non est necesse, ut nos omnes illos allegemus, qui pro nobis militant; sufficiat probare, quae *S. Thomas* senserit et schola eius, cum eorum auctoritas semper maximi habeatur et habenda sit.

S. Thomas saepius in favorem multiplicis sensus litteralis loquitur. In Summae theologicae, ultimi operis sui, parte prima q. 1. a. 10 inquirit de multiplici sensu s. Scripturae. Postquam attulerat divisionem sensus in litteralem et spiritualem et huius subdivisionem in allegoricum, tropologicum et moralem et ita multiplicitatem sensus uno modo exposuerat, aliam multiplicitatem asserit verbis sequentibus: «Quia vero sensus litteralis est, quem auctor intendit, auctor autem sacrae Scripturae Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprendit, non est inconveniens, ut dicit Augustinus (confes. l. 12. c. 18 et 19 etc.), si etiam *secundum sensum litteralem* in una littera s. Scripturae *plures* sint sensus.»

Sed prius iam in aliis operibus suis idem asseruerat. «Hoc enim ad dignitatem divinae Scripturae pertinet, ut *sub una littera multos sensus contineat,* ut sic et diversis intellectibus hominum conveniat, et unusquisque miretur, se in divina Scriptura posse invenire *veritatem,* quam mente concepit. . . . Unde non est incredibile, Moysi et aliis sacrae Scripturae auctoribus hoc divinitus esse concessum, ut *diversa vera,* quae homines possent intelligere, ipsi cognoscerent et ea sub una serie litterae designarent; ut sic quilibet eorum *sit sensus auctoris.* Unde si etiam aliqua vera ab expositoribus sacrae Scripturae litterae aptentur, quae auctor non intelligit, *non est dubium,* quin Spiritus sanctus intellexerit, qui est principalis auctor divinae Scripturae. Unde omnis veritas, quae salva litterae circumstantia potest divinae Scripturae aptari, *est eius sensus.*» (De potentia, q. 4. a. 1.) «Auctoritati Scripturae in nullo derogatur, dum diversimode exponitur, salva tamen fide: quia *maiori veritate* eam Spiritus sanctus *foecundavit,* quam aliquis homo adinvenire possit» (In 2. Sent. Dist. 12. q. 1. a. 2 ad 7um.).

Sequantur aliqui textus ex principalibus commentatoribus, theologis primi nominis, doctoribus scholae Thomisticae. Consulto auctores ex ordine S. Dominici eligimus, apud quos, testibus Summis pontificibus et aliis recte sentientibus, semper authentica s. Thomae doctrina viguit.

Card. Caietanus (ad I. q. 1. a. 10) scribit: «Secunda conclusio (sc. S. Thomae in artic. 10. q. 1.) est: Non inconvenit in una littera Scripturae *secundum sensum litteralem esse plures sensus.* Probatur dupliciter. Primo ratione: Auctor Scripturae sanctae est Deus, omnia simul suo intellectu comprehendens; ergo non inconvenit etc. Probatur conse-

---

[1]) Ex antiquioribus ut patroni unius sensus lit. allegari solent: *Alex. Halens., S. Bonav., B. Albertus M.* (Summ. I tr. 1. q. 5. membr. 2. ad 5um: «Theologia unam vocem refert ad unum significatum.»

quentia: quia sensus litteralis est, quem Auctor Scripturae intendit. Secundo, auctoritate Augustini lib. 12 confessionum».

Melchior Cano (De locis theol. lib. 2 c. 11 ad 7um arg., ad 3^{am} rationem): «Respondeo testimonium illud («ipse erit mihi in filium et ego ero illi in patrem») in sensu litterali ad Christum referri. Neque obstat, sensum etiam litteralem ad Salomonem etiam pertinere, cum *eadem littera plurima simul litteralia sensa contineat,* ut Divus Thomas et ante hunc Divus Augustinus tradidere».

Bannez (In Sum. Theol. Comment. ad l. c.): «Temerarium est negare, in sacris Litteris esse aliquem locum, qui in sensu litterali dupliciter possit intelligi.... Quoniam *communis sensus scholasticorum theologorum* est, duplicem sensum litteralem aut plures inveniri posse sub una littera Scripturae sacrae. Ita docet Divus Thomas in hoc articulo, et *communiter omnes scholastici nostri temporis* temeritatem aliquam esse iudicant, negare locum illum Genesis: «In principio creavit», duplicem sensum litteralem habere; propterea quod in cap. «Firmiter» de Ss. Trinitate ex Concilio Lateranensi ex illis verbis insinuatur damnandus duplex error».

Sylvius (ad l. c. in Summa): «Respondeo sententiam Divi Thomae, admittentis unius Scripturae plures sensus litterales, esse *valde probabilem.* Eam indicavit lib. 2. Sent. dist. 12. a. 2. ad 7um et quaest. 4. De Potentia a. 1. et *manifeste* hoc articulo. Eamdem asserunt Abulensis, Alphonsus Castro, Melchior Canus, Bannesius, Cumel, Vasquez, Valentia, Molina, Pamazius, Lorcas, Serrarius, Cornelius a Lapide etc..... Et confirmatur: Sicut enim ad excellentiam artificis magis pertinet multa ac diversa uno aliquo instrumento posse facere, quam si ad varia opera semper varia ipsisque operibus propria instrumenta deberet adhibere; et sicut maioris perfectionis et eloquentiae censetur, paucis verbis ea plura complecti: ita ad Dei Scripturaeque divinae excellentiam et dignitatem pertinet, iisdemque aliquibus verbis plura significare; unde quaedam e pluribus locis possunt adferri, quae omnino videntur habere plures sensus litterales».

Joannes a S. Thoma (Qu. 1. Primae Patris, disp. 2. a. 12): «Ad id vero, quod dicitur, eundem locum significare plura litteraliter, admittimus posse eundem locum plures litterales sensus habere, ut docet S. Augustinus 12. confess., c. 30. et 31. et aliis capitibus, et l. 3. de Doctrina christ. c. 27., *Divus Thomas hic articulo* 10. et Quodl. 7. a. 17., et *communiter expositores* super hunc locum primae partis».

Billuart (Tractatus de regulis fidei, Diss. 1. a. 8): «Petes, utrum idem textus s. Scripturae possit habere plures sensus litterales? R. Affirmative. Quia cum Auctor sacrae Scripturae sit Deus, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconveniens, si etiam in una littera s. Scripturae plures sint sensus litterales».

Hisce patefit sententia scholae in se et quid haec de mente S. Thomae teneat. Rationes a S. Thoma et eius commentatoribus expositae simul ostendunt *convenientiam* multiplicis sensus litteralis in S. Scriptura.

Obiectiones:

Obi. 1. Multiplex sensus litteralis non videtur admittendus; «etenim, ut optime argumentatur *P. Patrizi:* vocum ac lucutionum natura in Scriptura alia non est ac in ceteris libris; quare ergo aut quomodo alia erit in Bibliis natura sensus litteralis, qui ex ipsis dumtaxat vocibus et locutionibus exstat? Profecto Spiritus S., si per homines hominibus humano sermone loquitur, nulla prorsus apparet ratio, cur sermonem humanum natura sua privasse dicatur». (Cornely, S. J., l. c. pag. 524.)

Resp. Praeviderat hanc obiectionem iam Bannez dicens (l. c.): «Taliter (Deus) locutus est per Scriptores sacros, ut in quibusdam locis indifferens Scriptura maneret, ut multipliciter posset a nobis intelligi. Id quod inter amicos usu venire solet, ut amicus amico litteras mittens, aliquas ex professo aequivocas sententias scribat, quae multipliciter iuxta leges amicitiae possint intelligi, ut amicus in illis sese exerceat suavi aequivocatione detentus». Re vera, non est contra naturam linguae humanae multiplicem habere sensum litteralem, etsi id non sit ordinarium. Exempla sint: «lege facienda disce», quod duobus modis intelligi potest: in legibus stude; ita disces, quid faciendum sit, et: lege, quia legendo facienda disces. Et illud Gen. 2, 15: «Posuit (Deus) eum (Adamum) in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum», ubi vox «illum» tam in latino quam in textu hebraeo et ad Adamum et ad paradisum referri potest. Aliud exemplum praebent verba Caiphae (Joan. 11, 50): «Expedit, ut unus homo moriatur pro populo et non tota gens pereat», quae verba sequentem sensum habent in ore Caiphae: melius est, ut unus homo invitus moriatur, quam ut propter ipsum tota gens pereat. Praeterea autem exponi possunt: Melius est, ut unus homo sponte moriatur et morte sua populum liberet. Ad hunc alterum sensum alludit Evangelista dicens, Summum Pontificem hoc modo prophetasse.

Inst. 1. Etsi quaedam propositiones in se diversum sensum habeant, contextu tamen semper ad unum determinantur.

Resp. Negandum est, contextum semper id efficere, quod bene novit quilibet exegeta.

Inst. 2. Si tam naturale est sermoni humano, plures habere sensus, non erit hoc proprium s. Scripturae, quod tamen fautores multiplicis sensus litteralis asserunt.

Resp. Huiusmodi praerogativam attribuunt s. Scripturae, quia de facto nullus liber humanus maioris momenti invenitur, qui duplicem

sensum litteralem ex intentione auctoris contineat. Quod si talis liber sit, nihilominus maxima apparebit differentia in sublimitate idearum, certitudine et maiestate dictionis.

Obi. 2. «Cum de re extraordinaria et supranaturali agatur, quae tota quanta a libera voluntate dependet, illa asseri nequit, nisi argumenta solida ex revelationis fontibus, ex Scriptura dico et ex traditione, illam adstruant et stabiliant. Atqui argumenta haec prorsus desunt; ea enim, quae invenisse sibi videntur multiplicis sensus patroni, infirma sunt» (Cornely l. c.).

Resp. Solutio patet ex eis, quae iam dicta sunt.

Obi. 3. «Regulae hermeneuticae ab omnibus interpretibus et ab ipso s. Augustino eum in finem traduntur, ut earum ope genuinus sensus eruatur; iam vero si quis regulis his rite et debito modo adhibitis ad unum sensum certum pervenerit, a regulis ipsis aberrare deberet, si alterum praeter eum investigare vellet. Ad quid igitur regulae illae inserviunt?» (Cornely l. c.).

Resp. Regulis illis bene utuntur etiam patroni sensus litteralis multiplicis, parva cum modificatione. Concedunt in libris humanis eas semper esse adhibendas, cum ut dictum est, non inveniatur liber humanus, saltem maioris momenti, qui plures sensus litterales contineat. Quantum ad S. Scripturam, eas regulas absque ulla modificatione adhibere, esset a priori concedere, s. Scripturam nullibi plures sensus litterales praeseferre. Cum etiam in hypothesi multiplicis sensus hic in paucis tantum textibus inveniatur, ubi nulla est ratio plures sensus quaerendi, exegeta regulas simpliciter observabit. Ubi autem adest ratio aliqua, interpres inquiret unum sensum certum. Si autem praeter eum etiam alius adest, qui in se est verus et neque primo, qui certus est, neque aliis s. Scripturae dictis contradicit, tunc etiam hunc alterum sensum iuxta principia sua ut sensum verum admittere potest.

Obi. 4. Sensus litteralis multiplex dicitur adesse in paucis tantum locis s. Scripturae, non vero in universa; ad quid ergo tota haec doctrina?

Resp. Neque sensus spiritualis ubique existit et tamen est admittendus, ut infra probabitur. Non totum corpus humanum est oculus, et nihilominus oculus in eo invenitur.

Obi. 5. Obstat praxis exegetica omnium interpretum, etiam eorum, qui multiplicitatem illam tuentur; in praxi enim non sunt contenti recensere solummodo plures sensus philologice probabiles, sed omnes connituntur, ut e pluribus sensibus philologice probabilibus assequantur illum sensum, quem Spiritus s. substraverat, secus enim sufficeret, recensere omnes alicuius loci sensus philologice possibiles. Quare celeber alias exegeta nuper scripserat, non amplius esse verum illud (Werenfelsii) de s. Scriptura dictum:

«Hic liber est, in quo quaerit sua dogmata quisque,
Invenit et pariter dogmata quisque sua».

Resp. «Ad hoc breviter dicitur, quod littera habens multas expositiones, dupliciter se potest habere ad illas. Primo compatiens illas tam absolute quam in ordine ad reliqua, quae sunt fidei. Et tunc multitudo expositionum litteralium ad exercitationem nostram confert dignitatique Auctoris attestatur, ut Augustinus ibidem vult. Secundo ut compatiens illas in se, non tamen collate cum aliis litteris s. Scripturae. Et tunc ex tali collatione excludi possunt omnes illae interpretationes repugnantes, non repugnantes vero admitti. . . . Et si deficeret collatio litterae obscurae ad manifestam, nunquam tamen deest collatio ad sanctae Ecclesiae auctoritatem, a qua non solum certificari possumus de litterali sensu Scripturae, sed certi facti sumus de Scriptura ipsa; «Evangelio», inquit s. Augustinus, «non crederem, nisi me auctoritas Ecclesiae admoneret» (Cajetanus in Comment. ad I. Summae q. 1. a. 10). Hoc modo sibi rem repraesentat doctissimus patronus multiplicis sensus litteralis, et bene. Ut enim in parte secunda Hermeneuticae biblicae probatur, interpreti sola inquisitio philologica non sufficit.

Obi. 6. Contra argumentum e *s. Thoma.* Quia durum est habere contra se s. Thomae Aquinatis auctoritatem, eum sensui multiplici non favere, adversarii ostendere conantur, immo audaciores ex eis dicunt, s. Thomam eorum opinionem tenere. Sic Cornely, saepius iam citatus, scribit (l. c. pag. 525): «Ad s. Thomae auctoritatem immerito provocatur. In uno quidem loco, in quo Augustinum sequens prima verba Geneseos exponit, cum illo sensui multiplici favet; at ibi quaestionem hanc obiter tantum attingit nec data opera agitat; e contra in Summa theologica nostram sententiam tenet. Etenim etsi ibi quoque cum S. Augustino «non inconveniens esse censeat, si etiam secundum litteralem sensum in una litera Scripturae plures sint sensus», probe tamen animadvertendum est, ibi «sensum litteralem» lattissime sumi: «sensus litteralis est, *quem auctor intendit*», qua definitione etiam spiritualis sensus comprehenditur; ideoque etiam in primae obiectionis solutione monet, non ideo plures sensus in Scriptura esse admittendos, «*quia una vox multa significat,* sed quia *ipsae res* significatae per voces aliarum rerum possint esse signa?»

Resp. Habeant adversarii multiplicis sensus litteralis suam opinionem; plena enim libertate in hoc gaudent. At ne invocent S. Thomam tamquam patronum suum; Aquinas enim hac in re patrocinium eorum suscipere non vult.

Textu e Quaest. de Potentia s. Thomam sensui litterali multiplici favere, concedit ipse P. Cornely [1]), quod libenter accipimus, sed praeterea

---

[1]) *P. Knabenbauer* S. J. in «Stimmen a. M. L.» 1885. 7. Heft p. 201 s. etiam hoc quidem negat, sed nostra responsio eius quoque argumenta respicit.

tenemus, Doctorem Angelicum etiam in Summa theol. sensum litteralem multiplicem defendere, idque

a) propter consensum scholae thomisticae. Principales thomistas supra allegavimus, erantque viri, qui per totam vitam suam opera s. Thomae legebant et exponebant. Norunt illi apprime eius modum loquendi et methodum; si ii igitur in textu illo s. Thomae vident assertionem sensus litteralis multiplicis, merito nos ad assentiendum cogunt, certe plus quam quidam recentiores, qui s. Thomae mentem non ita bene attingere possunt.

b) Propter verba s. Augustini a s. Thoma allegata. S. Augustinum loco citato multiplicem sensum litteralem docere, constat. Ergo s. Thomas, ea allegans, non asserit multiplicitatem, quae e sensu litterali et spirituali exsurgit, sed multiplicitatem sensus vere litteralis.

c) Idem probat simplex analysis articuli, de quo est sermo. Angelicus Doctor primum distinguit sensum litteralem et spiritualem, bene utrumque definiens, primum dicens a verbis immediate dependere, alterum immediate a rebus. Postea asserit sensum spiritualem esse multiplicem i. e. allegoricum, tropologicum, anagogicum. Demum defendit multiplicitatem ipsius sensus litteralis, quam tenet cum s. Augustino: «Quia autem etc. . . . non est inconveniens, si **etiam** *secundum literalem sensum* in una littera s. Scripturae plures sint sensus.» Quod tam clarum est, ut ipse Beelen asserat, s. Thomam hic possibilitatem multiplicis sensus litteralis docere[1])

Numquid ergo s. Thomas in fine articuli sensum litteralem latius sumit i. e. sub eo intelligit sensum etiam spiritualem? Sibi ipsi contradiceret. Itaque verba, «quia sensus litteralis est, quem auctor intendit,» non sunt nova et quidem latior definitio sensus litteralis, sed motivum, ob quod in S. Scriptura sensus litteralis multiplex esse potest: Deus enim eum intendit, qui suo intellectu omnia potest comprehendere; quapropter non est inconveniens, dari etiam plures sensus litterales sub una littera.

Quod spectat ad obiectionem ex responso s. Thomae ad primum desumptam, quod est: «multiplicitas horum sensuum non facit aequivocationem aut aliam speciem multiplicitatis, quia isti non multiplicantur propter hoc, quod una vox multa significet, sed quia ipsae res significatae per voces aliarum rerum possunt esse signa», scire oportet, obiectionem esse unice de multiplicitate causata ex sensu litterali et spirituali i. e. contra primam et principalem conclusionem articuli; et huic obiectioni respondet s. Thomas, nihil dicens de eo, num etiam multiplex sensus litteralis aequivocationem causare possit. «Divus Thomas ibi loquitur de sensibus mysticis, qui omnes fundantur super aliquo

---

[1]) cf. Beelen, l. c. pag. 127.

uno litterali, ita sane quod quilibet mysticus super unum aliquem litteralem. . . Divus Thomas nunquam negavit aequivocationem esse in multiplici sensu litterali, sed in litterali et mystico» (Bannez l. c.). «Divus Thomas ostendit nullam esse aequivocationem, quando sub eadem littera continentur plures illi sensus, quos recenset: historicus sive litteralis, allegoricus, tropologicus et anagogicus, quia non continentur ex aequo sub eadem littera, sed unus est primus, sc. litteralis, super quem fundantur ceteri. Utrum autem admitti posset aequivocatio, quando eadem verba habent plures sensus litterales, in hac responsione neque negat neque affirmat» (Sylvius l. c.). [1])

Inst. 1. Ergo sensus litteralis multiplex inducit aequivocationem et eadem ratione confusionem in s. Scripturam.

Resp.: «Nec tamen sequitur aequivocatio aut confusio ex ista pluralitate sensuum tum quia saepe isti sensus habent inter se aliquam similitudinem seu ordinem; ubi autem est ordo, non est aequivocatio; tum quia multiplicitas sensuum tunc facit aequivocationem, quando est occasio deceptionis, quando in altero sensu potest esse falsitas. Quando autem uterque sensus est verus, sicut necessario est hoc ipso, quod a Deo est dictus litteraliter, nulla est occasio deceptionis neque aequivocationis; sed potius pertinet ad mysterium et ad maiestatem dicentis, quod possit unica oratione plures sensus amplecti et significare.» (Joan. a. S. Thoma: Cursus theol. q. 1. Primae Partis, Disp. 2. a. 12)[2])

Inst. 2. S. Thomas (Quodl. 7. q. 6. a. 16) s. Scripturam ceteris libris solo sensu spirituali praecedere docet.[3])

---

[1]) Ita patet quoque, quid dicendum sit de verbis P. Knabenbauer l. c.: «Hielt er den multiplex sensus litteralis für zulässig, so musste er den Obersatz verneinen; er aber gibt ihn als selbstverständlich zu und ist nur darauf aus, zu zeigen, dass der sensus litteralis und spiritualis keine multiplicitas einschliesse.»

[2]) *Sylvius* (l. c.): «Iuxta s. Thomam (III. q. 60. a. 3. ad 1um) tunc est signum ambiguum praebens occasionem fallendi 1. quando significat multa ad unum non ordinata, vel 2. quando is, qui signum illud assumit, non intendet *ea multa* significare, sed solum unum ex illis, vel 3. si intendat quidem ista multa significare, intendit ea significare *disiunctive* et cum animo fallendi.»

[3]) «Der heil. Thomas sieht den Unterschied in Betreff des Sinnes bloss darin, dass die heil. Schrift den sensus spiritualis habe, d. h. quod res cursum suum peragentes significant aliquid aliud, quod per spiritualem sensum accipitur. Also hier kann man nur sagen: entweder hält der heil. Thomas den sensus multiplex litteralis für etwas so Selbstverständliches, dass er allen profanen Büchern auch innewohne, oder er stellt ihn ganz u. gar auch für die heil. Schrift in Abrede; mit andern Worten: er kennt ihn gar nicht» (Knabenbauer S. J. l. c. pag. 202.). Knabenbauer prosequitur: «Ebenda ad 1. schneidet er nochmals dem multiplex sensus litteralis die Lebenswurzel ab, indem er es für durchaus unzulässig erklärt, ex verbis, quibus una res significatur, significari etiam aliam rem» Textum secundum non invenio l. c.; fortasse loquitur P. Knabenbauer de verbis ad 1um art. 14., ubi tamen s. Thomas solum de modo loquitur, quo *sensus spiritualis* continetur in s. Scriptura.

Resp. Doctor Angelicus quaerit in l. c. unice de hoc, num sensus *spiritualis* inveniatur etiam in libris humanis. Et ad hanc quaestionem respondens nihil aliud dicit ad 1um quam: «ad primum ergo dicendum, quod in aliis scientiis proceditur ex similibus argumentando, non quod ex verbis, quibus una res significatur, significetur alia res.» Ut homo sapiens ad quaesitum respondet, aliud non tangens.

§ 12.

Sensus consequens.

1. Sensum consequentem, etiam *derivatum, porismaticum* [1]) appellatum, eum diximus, qui verbis s. Scripturae formaliter non inhaeret, sed ex litterali ope ratiocinationis colligitur.

Naturale est homini, ut ex dictis vel lectis consequentias trahat, id quod fieri potest etiam ex iis, quae s. Scriptura dicit. Haec homini unam syllogismi praemissam praebet, alteram ipse adiungit et conclusionem ducit. Si praemissa ab homine posita in se vera est et consequentia rite ducitur, manifestum est, conclusionem veram esse. In libris humanis huiusmodi conclusiones non licet semper ut sensa auctoris considerare, immo interdum id iniustum esset, cum homo non praevideat omnes verborum suorum sequelas. Aliter res se habet in s. Scriptura. Cum enim haec Deum auctorem habeat, qui omnia uno simplici actu videt, non est dubium, quin consequentias huiusmodi praeviderit. [2]) Tamen «sensus» s. Scripturae huiusmodi consequentiae dici nequeunt.

Si praemissa apposita falsa est, sensus deductus *parhermeneuma* vocatur; quodsi error in ipsa deductione committitur, eiusmodi sensus *paralogismus exegeticus* appellatur.

Sensu consequenti rite ex s. Scriptura deducto bene uti possumus; in ipsa theologia frequens est eius usus. Hisce consectariis etiam plures textus nobis eam utilitatem procurant, de qua ipsi auctores sacri loquuntur et quam textus ii simpliciter spectati non exhibent. Scribit enim s. Paulus (ad Rom. 15, 4): «Quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt» et (2. Tim. 3, 16): «Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia». Plura autem ex iis, quae in s. Scriptura leguntur, non nisi consectariis suis eam utilitatem praestant. Inde iam ipsos scriptores sacros et multo magis ss. Patres huiusmodi consectariis

---

[1]) ἀπορίζω movere, ut corrollarium deducere.

[2]) «Der sensus consequens, d. h. der aus dem Litteralsinne sich erst logisch ergebende, resp. mit demselben organisch zusammenhängende .... Sinn erlangt bei der heil. Schrift eine weit höhere Bedeutung, als bei einem menschlichen Schriftsteller, indem das, was bei Menschen durch verschiedene Denkakte erfasst und darum auch in verschiedenen Sätzen ausgesprochen wird, vom heil. Geiste in Einem Blicke zusammengefasst und so auch in Einem Ausdruck zusammengedrängt werden kann». (Scheeben, Handbuch der kath. Dogmatik, I. B. pag. 119.)

uti reperimus. Sic s. Paulus verba Deut. 25,4; «non ligabis os bovis, terentis in area fruges tuas» adhibet, ut probet, Apostolis, ministris altaris, victum necessarium esse suppeditandum, a minori ad maius concludendo: «Scriptum est enim in lege Moysis: non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe, qui arat, arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?» (1. Cor. 9, 9—11). Ss. Patres huiusmodi conclusiones practicas saepe sensum *moralem, spiritualem, allegoricum* appellant.

Sensus consequens, ut eum hucusque delineavimus, «consequens» quidem est, at «sensus» proprie dici non potest.

2. Praeterea auctores quandoque de alia sensus consequentis specie loquuntur, qui quidem «sensus» est, at «consequentis» nomen ei non competit. Exsurgit hic, si verba s. Scripturae accuratius evolvuntur, quo veluti nova, vel saltem plenior veritas hauritur. Rem exemplo illustremus. Homo dicitur sanctus, sapiens; sed etiam Deus est sanctus, sapiens, et quidem modo multo perfectiore, infinito. Qui ergo vult bene concipere sensum propositionis «Deus est sanctus» vel «Deus est sapiens», sanctitatem et sapientiam secundum totam earum rationem intelligat, necesse est. Quod si fiat, notionem sapientiae et sanctitatis perfectiorem habebit et non raro eas sicut et alias res huiusmodi in plures conceptus veluti partes dividere cogetur, ut omnia, quae res illae continent, evolvat. Haec ergo plena et completa acceptio verborum a nonnullis sensus consequens appellatur, at immerito, cum nihil aliud sit quam ipse sensus litteralis.

Quae cum ita sint, in aperto est, sensum consequentem s. Scripturae non distingui contra sensum eius litteralem.

CAPUT IV.
DE SENSU S. SCRIPTURAE SPIRITUALI.

§ 13.

Diversa nomina sensus spiritualis eiusque notio.

1. Sensum s. Scripturae spiritualem definivimus: quem res significant. Sensus hic apud latinos etiam *typicus* dicitur, quia res illae, quae ulterius aliquam aliam veritatem indicant, typi nuncupantur. Vocatur etiam *mysticus,* tanquam magis absconditus quam litteralis et veluti mysteriosus. Apud Qraecos diversa nomina nactus est, ut: *κατὰ τὴν διάνοιαν, κατὰ τὸν νοῦν, κατὰ τὴν ἀναγωγήν, κατὰ τὴν θεωρίαν* etc.

2. *Fundamentum* sensus spiritualis sunt *typi* i. e illae personae vel res, quas Deus sua providentia ita disposuit, ut personas vel res futuras significarent eas praefigurantes. «Spiritualis sensus s. Scripturae», inquit s. Thomas, «accipitur ex hoc, quod res cursum suum peragentes significant aliquid aliud, quod per spiritualem sensum accipitur. Sic autem ordinantur res in cursu suo, ut ex eis talis sensus possit accipi, quod eius solius est, qui sua providentia res gubernat, qui solus Deus est» (Quodl. 7. a. 16. c.). Non sufficit autem ad sensum spiritualem, ut illae personae vel res aliud significare possint, sed requiritur, ut illa significatio eis ex intentione auctoris reverá subsit. Persona vel res praefigurans *typus,* [1]) praefiguratum autem *antitypus* nuncupatur.

Typi varie distinguuntur:

1. Notissima est divisio *ratione obiecti antitypici* in: *allegoricum, tropologicum, anagogicum.*

a) *allegoricus* dicitur, si personae vel res antiqui Testamenti ita sunt admirabili Dei providentia dispositae, ut Messiam et eius Ecclesiam praefigurent;

---

[1]) *Α τύπτω* percutere, imaginem imprimere. Vocem «typus» in nostra significatione iam s. Paulus usurpat, quandoque tamen eandem rem *umbram, allegoriam, parabolam* appellans; cf. Rom. 5, 14; 1 Cor. 10, 6; Hebr. 8, 5; Gal. 4, 24; Hebr. 9, 9. *Antitypus* iam a S. Petro adhibetur ad rem praefiguratam designandam 1. Petr. 3, 21; S. Paulus autem Hebr. 9, 24 hoc modo etiam rem praefigurantem designat.

b) *tropologicus* adest, si res praefigurata sit ex iis, quibus mores instruuntur;

c) *anagogicus*, qui speranda praefigurat.

Huic triplici typorum speciei correspondet divisio sensus spiritualis in allegoricum, tropologicum, anagogicum. [1])

2. *Ratione obiecti typici* typi sunt aut *personales* aut *reales* aut *legales;*

a) *Personales* typi dicuntur, si praefigurantes fuerunt personae, ut Moyses, Salomo.

b) *realis* est, cuius obiectum fuit aliquis eventus proprie historicus, ut egressus ex Egypto.

c) *legales* dicuntur, quorum obiectum fuerunt ritus liturgiae mosaicae; hi iterum subdividuntur in:

α) *technicos,* qui spectant apparatum liturgiae, ut tabernaculum, vasa sacra;

β) *sacramentales,* quorum obiectum erant sacramenta legis mosaicae;

γ) *sacrificiales,* quorum obiectum erant sacrificia Veteris Testamenti;

δ) *personales,* quorum obiectum erant personae cultui divino specialiter destinatae: Summus Pontifex, sacerdotes, levitae.

3. Ratione *certitudinis* typus dicitur: *certus, probabilis, coniecturalis, improbabilis;*

a) *certus* est, qui probari potest argumento apodictico, ita ut nulla adsit formido oppositi;

b) *probabilis,* de cuius existentia constat non ratione quidem apodictica, at sufficienti;

c) *coniecturalis,* qui in sola hypothesi fundatur;

d) *improbabilis* est, contra quem saltem una ratio apodictica militat.

4. *Ratione criterii* typus est aut *biblice certus* aut *sola traditione:*

a) *biblice certus* dicitur, si in ipsa s. Scriptura ut typus declaratur;

b) *traditionaliter certus* dicitur, si probari potest auctoritate Ecclesiae aut consensu ss. Patrum.

---

[1]) «Sensus allegoricus (per allegoriam rerum) non solum pertinet ad Christum ratione capitis. sed etiam ratione membrorum, sicut quod per duodecim lapides electis de Jordane (Jos. 7) significantur duodecim Apostoli. Sed sensus moralis pertinet ad membra Christi quantum ad proprios eorum actus, et non secundum quod considerantur ut membra» (S. Thom. Quodl. 7. a. 15 ad 2um). «Sicut sensus allegoricus pertinet ad Christum secundum quod est caput Ecclesiae militantis, iustificans eam et gratiam infundens, ita et sensus anagogicus pertinet ad eum secundum quod est caput Ecclesiae triumphantis, glorificans eam» (ib. ad 4um).

Occurrunt autem etiam typi s. Scripturae, qui non fundantur in re, ut revera erat, sed ut de ea narratur. Hoc modo Melchisedech assumitur ut typus a s. Paulo (Hebr. 5, 10. 11; 7, 1 ss.) dicente: «Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem vitae habens, assimilatus autem Filio Dei manet sacerdos in perpetuum» (ib. 7, 3). Hunc typum aliqui *verbalem* vocant.

Typi praestantiores et frequentiores Antiqui Testamenti sunt:

1. Personales:

Adamus. — Erat pater generis humani peccantis, ut Christus humanitatis a peccato liberatae. cf. Rom. 5, 14: «qui est forma (τύπος) futuri»; 1. Cor. 15, 45: «Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem»; ib. v. 47: «Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de coelo coelestis».

Noe. — cf. 1. Petri 3, 20. 21: «Qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, i. e. octo animae salvae factae sunt per aquam. Quod et vos nunc similis formae salvos fecit baptisma».

Melchisedech. — Nomen eius significat «regem iustitiae», qualis perfectiori modo erat Christus cf. Hebr. 7, 1. 2. Joan. 18, 37. Depingitur in s. Scriptura «sine patre et matre, neque initium dierum neque finem habens» (Hebr. 7, 3); talis revera fuit Christus Dominus. Melchisedech offerens panem et vinum ut sacerdos Altissimi est typus Christi, sacerdotis perfecti. Melchisedech fuit sacerdos rex, non pro uno populo tantum sacrificium offerens, ut sacerdotes aaronitici, sed erat sacerdos generalis, propterea super sacerdotium aaroniticum (Hebr. 7, 4—10), neque eguit tabernaculo foederis.

Agar cum filio Ismaele et Sara cum Isaaco. — «Scriptum est enim, quoniam Abraham duos filios habuit: unum de ancilla et unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est, qui autem de libera, per repromissionem. Quae sunt per allegoriam dicta. Haec enim sunt duo testamenta: Unum quidem in Monte Sina, in servitutem generans, qua est Agar.... Nos autem fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus». (Gal. 4, 22—24. 28.)

Moyses. — «Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies» (Deut. 18, 15; cf. ib. v. 18; Joan. 1, 44.)

Josue. — «Veniam ad Jesum Nave, qui typus Domini non solum gestis verum etiam nomine transiit Jordanem, hostium regna subvertit, divisit terram victori populo et per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes atque confinia, Ecclesiae coelestisque Jerusalem spiritualia regna describit» (Hier. ad Paulin. Ep. 53, 8).

David et Salomo. — «Et erit in die illa, ait Dominus exercituum; conteram iugum eius de collo tuo, et vincula eius dirumpam, et non dominabuntur ei amplius alieni. Sed servient Domino Deo suo et David regi suo, quem suscitabo eis». (Jer. 30, 8. 9). Salomon erat typus Christi praecipue ut princeps pacis (cf. Js. 9, 6).

Jonas. — «Generatio mala et adultera signum quaerit; et signum non dabitur ei, nisi signum Jonae prophetae Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus. Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista et condemnabunt eam, quia poenitentiam egerunt in praedicatione Jonae. Et ecce plus quam Jonas hic.» (Math. 12, 39; cf. 16, 4; Luc. 11, 30—32).

2. Typi reales:

Agnus paschalis. — «Facta sunt enim haec, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo» (Joan. 19, 39). «Etenim Pascha nostrum immolatus est Chritus» (1. Cor. 5,7) etc.

Manna. — Praefigurabat panem coelestem, quem Christus Dominus nobis procuravit (cf. Joan. 6, 30 ss.).

Aqua, quae exiit e petra (Ex. 17, 6). — «Omnes eandem escam spiritualem manducaverunt. Et omnes eundem potum spiritualem potaverunt. Bibebant autem de spirituali consequente eos petra; petra autem erat Christus» (1. Cor. 10, 3. 4). «Quod in evangelio adimpletur, quando Christus, qui est petra, finditur ictu lanceae in passione; qui et admonens, quid per prophetam sit ante praedictum, clamat et dicit: si quis sitit, veniat et bibat. Qui credit in me, sicut Scriptura dicit, flumina de ventre eius fluent aquae vivae» (Cyprian. ad Caecil. Ep. 63, 8).

Serpens aeneus. — «Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam» (Joan. 3, 14. 15; cf. 12, 32.).

Sion et Jerusalem. — «Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem coelestem et multorum millium angelorum frequentiam» (Hebr. 12, 22.). —

Typi tropologici et anagogici praecipue a ss. Patribus indicantur, rarius in s. Scriptura, ut Sap. 16, 28 dicitur manna tabuisse statim lucente sole, «ut notum omnibus esset, quoniam oportet praevenire solem ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te adorare»; et Sap. 9, 9 Salomonis templum ad coeli similitudinem exstructum dicitur: «Et dixisti me aedificare templum in monte sancto tuo et in civitate habitationis tuae altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod praeparasti ab initio.»

3. Ex dictis iam prono alveo fluit, quomodo sensus typicus distinguatur a *sensu allegorico,* (litterali) et a *sensu symbolico.*

a) *Differt a sensu allegorico,* sicut typus ab allegoria rhetorica.

Allegoria enim est

α) merum orationis adminiculum, habens scopum didacticum; typus autem rem continet, quae etiam propter seipsam fit;

β) allegoria potest referre rem falsam, typus autem semper veram refert;

γ) sensus allegoricus, saltem per respectum ad spiritualem, semper immediatus est, sensus autem spiritualis solum mediatus.

b) *Differt etiam a sensu symbolico.* Prophetae quandoque exhibent actiones (symbola), quibus quidem aliquid futuri praesignant, at hoc in illa praefiguratione totam existendi rationem habet, ut cum Ezechieli (12, 3 ss.) dicitur: «Tu ergo, fili hominis, fac tibi vasa transmigrationis et transmigrabis per diem coram eis; transmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum in conspectu eorum, si forte aspiciant etc.» «Hircus (Dan. 3) vel alia huiusmodi», inquit s. Thomas, «per quae aliae personae Christo in Scripturis designantur, non fuerunt res aliquae, sed similitudines imaginariae *ad hoc unum* ostensae, ut illae personae significarentur; unde illa significatio, qua per illas similitudines personae illae aut regna designantur, non pertinet nisi ad historicum (litteralem) sensum. Sed ad Christum designandum etiam illa, quae in rei veritate contigerunt, ordinantur sicut umbra ad veritatem; et ideo talis significatio, qua per huiusmodi res Christus aut eius membra significantur, facit alium sensum praeter historicum, sc. allegoricum (i. e. spiritualem). Si alicubi vero inveniatur, quod Christus significatur per huius modi imaginarias similitudines, talis significatio non excedit sensum litteralem» (S. Thom. Quodlib. 7. q. 6. a. 15 ad 1um).[1])

---

[1]) E contra ad sensum spiritualem reducitur, quod Reithmayr scribit p. 38 ss. de «sensu litterali pleno», (der litterale Vollsinn), quem veluti tertium ponit praeter litteralem et spiritualem. Exemplum, quo theoriam suam explicat, ostendit sensum illum esse spiritualem. Affert ex 2. Reg. 7, 14: «Ego ero ei in patrem et ipse erit mihi in filium», quae verba iuxta contextum significant relationem Dei intimam ad Salomonem, Hebr. 1, 5 autem authentice de Messia exponuntur, ubi *plenam* veritatem acquirunt. De Christo enim dicta sunt typice, et perfectius in eo sunt impleta, cum antitypus typo semper perfectior sit. Neque obstat ratio ab auctore clarissimo allata, sermonem esse de sensu litterali, quia Evangelistae in eiusmodi locis *verbum* S. Scripturae in Christo Domino adimpletum esse dicunt («Dass der Litteralsinn überall gemeint sei, nicht ein Typus, geht endlich mit formeller Klarheit daraus hervor, dass die Evangelisten überall betonen, das *Wort* (τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ κυρίου διὰ τοῦ προφήτου) sei zu seiner Fülle gelangt, das, was der *Buchstabe* ausdrückte, sei seinem ganzen Umfange nach zur thatsächlichen Wahrheit

§ 14.

Sensus spiritualis in s. Scriptura revera existit.

Sensum spiritualem, prout eum definivimus, negasse dicitur Porphyrius, Marcionitae, Manichaei.[1]) Eum negavit quoque Lutherus[2]) et post eum multi Protestantes, at immerito. Eius existentia probatur:

1. Ex ipsa s. Scriptura.

Argumentum explicitum sat generale praebet S. Paulus (Col. 2, 16. 17): «Nemo ergo vos indicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi aut neomeniae aut sabbatorum, quae sunt umbra futurorum: corpus autem Christi,» i. e. res. cuius praedicta erant umbra, est in Christo. Hoc modo s. Paulus praeceptorum et liturgiarum sensum typicum indicavit, idque confirmatur ex Hebr. 8,5 ubi vel clarius loquitur; disserens enim ibi de ministerio sacerdotum leviticorum, ait: «qui exemplari et umbrae deserviunt coelestium» (*οἵτινες ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ λατρεύουσιν τῶν ἐπουρανίων*), tabernaculum et omnia ad illud pertinentia non solum umbram, sed typum et imaginem appellans rerum coelestium i. e. spiritualium, in Christo et Ecclesia adimplendarum.

---

geworden. Wo die Apostel von Erfüllung des in Typen Vorgezeichneten reden, haben sie in anderen angemesseneren Formeln sich ausgedrückt» (Vgl. Gal. 4, 22; Col. 2, 17; Joh. 3, 14). Etenim etiam typi verbis exprimuntur, non quidem immediate sed mediate.

[1]) *Theodorum Mops* etiam fuisse inter adversarios sensus spiritualis aliqui asserebant, at immerito. Scribit eium (Comment. in Joannem, Prol.): Deus «plurima in Vetere Testamento ita administravit, ut gesta illa tum eius temporis hominibus maximam praeberent utilitatem, tum etiam significationem haberent futurarum rerum... Hoc modo invenitur, vetera esse typum quendam posteriorum, cum simul habeant similitudinem cum illis et idoneam utilitatem suis ipsius temporibus, ita tamen ut simul demonstrent, quantopere illa futuris minora fuerint» (cf. *Kihn,* Theodor von Mopsuestia. Freib. 1880 p. 128 ss).

[2]) In praelectionibus super Genesin an. 1536—1545 habitis dicit ad 15, 7 (Exeget. op. lat. 3, 306 s.): «Latina ecclesia habet paucos commentarios in Mosen. Lyra praecipuus est; ex eo nati sunt postea alii, Hugo Carensis (sic! etsi Lyram praecessit) etc. Admonet autem hoc in loco de canone quodam ad sacram Scripturam intelligendam pernecessario, quod multi loci Scripturae habeant duplicem intellectum, litteralem unum de terrenis, alterum de spiritualibus et aeternis donis, atque in eo numero praesentem quoque locum ponit. Ac in scholis theologorum notissima regula est, scripturam quadrupliciter intelligendam. Alium enim esse sensum historicum seu litterae, alium tropologicum, alium anagogicum, alium allegoricum. Ego quidem facile patior, unumquemque abundare suo sensu; sed nostrum studium in hoc praecipue ponendum est, si sacra dextre tractare volumus, ut habeamus unum simplicem, germanum et certum sensum litteralem. Nam plures sensus Scripturae tribuere non solum periculosum esse iudico et ad docendum inutile, sed etiam scripturae auctoritatem elevat, cuius unam eandemque sententiam perpetuo esse convenit.» Lutherum sibi in hoc constantem non fuisse, dicit Zöckler (Luther als Ausleger des A. Test. 1884). Sal. Glass in suo opere «Philologia sacra» sensum spiritualem admittit, scribens pag. 248 (ed. 1668): «Scripturae s. sensus *duplex* est: litteralis et spiritualis seu mysticus».... «Sensus mysticus est, qui non significatur proxime per ipsa verba, sed *per rem* ipsis verbis significatam.»

Extant quoque alia testimonia explicita Christi et Apostolorum, quamquam iam magis specialia, paragrapho praecedenti enumerata, ut cum Christus Dominus de seipso dicit (Joan. 3, 14): «Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis», cum Adamus vocatur typus Christi (Rom. 5, 14), duae uxores Abrahami typi duorum Testamentorum etc. Saepissime autem, ubi testimonia huiusmodi in Novo Testamento afferuntur, adiunguitur, in vita Christi et alibi aliquid accidisse «ut adimpleretur» (ἕνα πληρωσῆ), quod praedictum est, et ita in aperto est, huiusmodi verba de Christo fuisse dicta. Cum autem non sint dicta dn eo semper in sensu litterali, ea in sensu spirituali intelligi necesse est.

2. Probatur e traditione Judaeorum.

Christus Dominus et apostoli non semel contra Judaeos e sensu spirituali argumentantur; atqui hoc eis impossibile fuisset, nisi Judaei ipsi sensum spiritualem admisissent. *Philo* in libro «de Abraham» in Patriarchis Abraham, Jsaac, Jacob, typum agnoscit. In opere suo «De migratione Abrahae» circumcisionem aliasque leges ceremoniales mosaicas modo mystico exponit, vestigia in hoc antiquorum sequens. In libro «De vita contemplativa» enim de Therapeutis scribit: «Versantes enim sacra volumina philosophantur, patria philosophia *allegorice exposita;* putant enim ea, quae verba sonant, esse *symbola latentis naturae per figuras manifestatae.* Habent vero et commentarios *priscorum virorum* qui, sectae auctores cum essent, multa monumenta de *allegoriis* reliquerunt, quibus veluti exemplaribus utentes, huius instituti rationem imitantur.» De Pharisaeis idem testatur Flavius Josephus (Antiq. 17, 3, 4), immo ipse ut pharisaeus allegorice interpretatur textus aliquos s. Scripturae (Prooem. Antiq. § 4; 3, 6, 4 et 77; De bello iud. 5, 6, 4.). In ipso Talmude expositiones spirituales occurrunt, ut Tract. Berachot. cap. 5. circa finem: «Dedit nobis Deus formas tabernaculi, sanctuarii et omnium vasorum eius, candelabri, mensae et altarium in *typos rerum intellectualium* et ad intelligendum ex his veritates supernas»; et in tractatu Quiddusim fol. 41 col. 1 affirmetur: «Quicunque exponit textum secundum formam suam tantum (i. e. in sensu litterali), ecce is est mendax »

3. Ex traditione Ecclesiae, quam deprehendimus

a) in *liturgia.* Haec non solum Christum in agno paschali praefiguratum docet et Beatam Virginem in Judith, Esther aliisque feminis piis, sed etiam in vita Abrahami, Davidis, Salomonis aliarumque personarum illustrium typos conspicit. Comparanda est hunc in finem praesertim praefatio missae paschalis, benedictio cerei paschalis et officium corporis Christi, ubi canitur:

«In figuris praesignatur,
Cum Jsaac immolatur,
Agnus Paschae deputatur,
Datur manna patribus.»

b) *In archaeologia christiana.* Iam in catacumbis Moyses saepius ut typus s. Petri, Noe ut typus Christi, sacrificium Jsaaci ut typus sacrificii a Christo Domino oblati, manna ut typus ss. Eucharistiae etc. occurrit. [1])

c) *In testimonio ss. Patrum et theologorum catholicorum.* S. *Barnabas* (Epist. 7. 8. 9. 12. al.): «Ipse (sc. Dominus) pro peccatis nostris vas spiritus oblaturus erat in hostiam, ut etiam impleretur figura facta in Jsaac, qui super altare fuit oblatus.» De vacca rufa dicit: «Vitulus iste Jesus est; homines nequam qui afferunt, sunt ii, qui Dominum ad necem obtulerunt.» Praeterea alias res, ut caprum emissarium, circumcisionem Abrahae, typice exponit. — *S. Clemens Rom.* (1. Cor. 12) loquens de funiculo coccineo, quo per fenestram demisso Rahab servata est, adiungit: «hoc manifestum fieri, quod omnibus, qui credunt et sperant in Deum, per sanguinem Domini redemptio futura sit.»

S. Justinus (Dial. c. Tryph. 114): «Interdum Spiritus S. efficiebat, ut clare et aperte aliquid fieret, quod quidem typus erat futuri; interdum autem et sermones pronuntiavit de futuris rebus, ita eas praenuntians, quasi iam tunc res fierent vel etiam factae essent». Et (ib. 42) alibi: «Cetera omnia a Moyse instituta enumerans demonstrare possum, illa figuras (τύπους) et signa et praenuntia fuisse tum eorum, quae Christo eventura erant, tum eorum, qui in eum credituri praenoscebantur». — *S. Jrenaeus* (adv. Haer. l. 4, c. 25, 3): «Oportebat enim quaedam quidem praenuntiari paternaliter a patribus, quaedam autem praefigurari legaliter a prophetis, quaedam vero deformari secundum formationem Christi ab his, qui adoptionem perceperunt, omnia vero in uno Deo ostenduntur. Cum enim unus esset Abraham, in semetipso praefigurabat duo Testamenta» (cf. etiam 2, 24, 2 ss.; 4, 26, 2). — *Tertullianus* (adv. Marc. 5, 7): «Ecce autem et in petram offendit coecus Marcion, de qua bibebant in solitudine patres nostri. Si enim petra illa Christus fuit, utique creatoris, cuius et populus. Cui rei figuram extranei sacramenti interpretatur? an ut hoc ipsum doceret, figurata fuisse vetera in Christum ex illis recensendum? Nam et reliquum exitum populi decursurus, praemittit: Haec autem exempla nobis sunt facta» (cf. etiam adv. Jud. c. 14). — *S Hieronymus* (Epist. 53 ad Paulin. 8) commemorat Jonam ut «naufragio suo passionem Domini praefigurantem». Sed haec sufficiant; longum enim est, omnium Patrum testimonia referre. Schola Alexandrina quidem ut sensum spiritualem saepe solas metaphoras refert, at multis in locis sensum nostrum expresse admittit.

[1]) cf. Kraus, Roma sotteranea pag. 242 ss.

Theologorum omnium testimonia referre, non est hic locus. Sufficiat referre s. *Thomae Aq.* verba, quae etiam convenientiam sensus spiritualis ostendunt: «Auctor sacrae Scripturae est Deus, in cuius potestate est, ut non solum voces ad significandum accomodet, quod etiam homo facere potest, sed etiam res ipsas. Et ideo cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsae res significatae per voces etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus vel litteralis. Illa vero significatio, qua res significatae per voces iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, qui super litteralem fundatur et eum supponit» (I. q. 1. a. 10). [1])

Obiectiones:

Obi. 1. Non debet induci tamquam sensus alicuius libri, quod ut tale a lectoribus cognosci non potest. Atqui sensus spiritualis, quomodo cognoscatur, non apparet. Ergo non est admittendus.

Resp. Deus, qui sensum spiritualem indendit, praesto habet etiam media, quibus eum manifestet. Potest enim iam res ita disponere et verba, quibus hae referuntur, ita ordinare, ut sensus legenti innotescat. Praeterea alia quoque media adhibere potest, ut revera adhibuit, sc. ipse potest sensum spiritualem in s. Scriptura indicare, aut per seipsum aut per scriptores sacros aut etiam per alia revelationis organa, ut reapse factum esse supra probatum est.

Obi 2. Si praeter sensum litteralem alius admittitur, confusio et deceptio paritur et argumentandi ratio tollitur.

---

[1]) «Ideo sub cortice litterae apertae occultatur mystica et profunda intelligentia ad comprimendum superbiam, ut ipsius profunditate in humilitate litterae latente et superbi comprimantur, et immundi repellantur, et fraudulenti declinentur, et negligentes excitentur ad intelligentiam mysteriorum. Et quia auditor doctrinae istius non est unius generis sed cuiuslibet, omnes enim salvandos oportet aliqua de doctrina hac scire, ideo ipsa multiformem habet intelligentiam, ut sic omnem intellectum capiat et omni intellectui condescendat, omnem intellectum superexcedat et omnem intellectum sibi diligenter intendentem multitudine radiositatis suae illuminet pariter et accendat» (S. Bonaventura Breviloquium, Provem § 5.). «Quid enim ad salutem iuvet scire antiquorum Judaeorum bella et seditiones; si in eis nihil aliud quam strages et effusiones sanguinis intelligamus? Quid refert ad pietatem consequendam nosse iuxta litteram, quod Abraham duas uxores et filios habuit, Ismael et Isaac; quod a lacte depulsus sit puer Isaac, quod in die ablactationis factum sit convivium, quod luserit cum Ismaele, quod Sara indignatur filium ancillae ludere cum filio liberae: ni carnalem historiam ad mysticam intelligentiam retuleris? etc.» (Sixtus Sen. Bibl. Sancta l. 3. ed Venet. 1575 p. 260.) Hinc interpres interdum sensum spiritualem admittere poterit etiam in illis textibus, in quibus quidem de eo non constat ex ipsis hagiographis aut Ecclesiae doctrina, sed a) iis lex aliqua refertur, quae in se nimis parvi momenti esset, ut est ex. gr. lex, ne agno paschali ossa frangantur, et b) ubi facta narrantur, quae in se mala esse videntur et nihilominus in s. Scriptura laudantur, ut est ex. gr. narratio de Abrahamo Hagarem e domo sua eiiciente, et de Jacobo Esauum benedictione primogeniti privante.

Resp. «Multiplicitas horum sensuum non facit aequivocationem aut aliam speciem multiplicitatis, quia, sicut iam dictum est, isti non multiplicantur propter hoc, quod una vox multa significet, sed quia res ipsae significatae per voces aliarum rerum possunt esse signa» (S. Thom. Summa I. q. 1. a. 10 ad 1um.)

Obi. 3. Admisso sensu spirituali, latissimus aperitur campus exegetis illis, qui sua figmenta ut sensum s. Scripturae proponere volunt horumque ingenia petulantia vix possibile erit coercere, cum eis semper praesto sit responsio: iuxta spiritualem intelligentiam loquimur.

Resp. Qui sensum spiritualem admittit, absque ullo dubio campum latiorem habet quam ii, qui solum sensum litteralem s. Scripturae attribuunt. At cum simul regulae certae adsint ad discernendum sensum spiritualem verum a falso, nullum inde periculum imminet. Quodsi autem aliqui Patres aut theologi sensum spiritualem collegerint e textibus, ubi de typo non constat et propterea neque de sensu spirituali, scire oportet, eos huiusmodi interpretationes non adduxisse ad dogmata fidei defendenda, sed ad aedificationem fidelium tantum. Ceterum abusus alicuius doctrinae non probat eius falsitatem.

§ 15.

Sensus spiritualis sitne proprius s. Scripturae?

S. Thomas Aq. (Quodl. 7. a. 16) ita loquitur de sensu spirituali, acsi proprius esset s. Scripturae. Dicit enim: «In nulla scientia, humana industria inventa, proprie loquendo, potest inveniri nisi litteralis sensus, sed solum in ista Scriptura, cuius Spiritus sanctus est auctor, homo vero instrumentum». Et probat id sequenti ratione: «Spiritualis sensus sacrae Scripturae accipitur ex hoc, quod res cursum suum peragentes significant aliquid aliud, quod per spiritualem sensum accipitur. Sic autem ordinantur res in cursu suo, ut ex eis talis sensus possit accipi, quod eius solius est, qui sua providentia res gubernat, qui solus Deus est».

Haec Doctoris Angelici verba iam primo aspectu plures difficultates involvere videntur. Etenim

1. Res, per quas sensus spiritualis significatur, cum significato similitudinem habeant oportet. Potest ergo homo res iam productas, quibus talis similitudo inest, adhibere ad ulteriora designanda et ita sensum spiritualem intendere.

2. Immo homo potest res quasdam hac cum intentione facere, sicut rex potest quaedam in regno suo tali modo disponere, ut eis sensus mysticus insit. De facto in quibusdam sectis philosophicis talia fiebant et nunc quoque fiunt in ordinibus religiosis.

3. Saltem res ex s. Scriptura iam notas et spiritualia significantes adhibere potest in suis scriptis, quibus tunc verus sensus spiritualis suberit.

Resp. S. Thomas non videtur abiudicare libris humanis possibilitatem omnis sensus spiritualis, sed perfecti tantum, qualis in s. Scriptura invenitur. Propterea addit: «proprie loquendo» et refert res non qualescunque, sed «cursum suum peragentes». Audiatur doctissimus Caietanus, qui nobis s. Thomae mentem aperit (in Comm. ad Summam. I. q. 1. a. 10): «Dupliciter intelligi potest *res fieri signa:* uno modo, *in ipsa generatione rerum,* ut sc. simul fiant ad hoc, ut sint *res* et *signa* aliarum rerum; alio modo *adventitie,* ut *res* iam factae accipiantur ut *signa*... Hoc secundo modo non est proprium Dei nec excedit hominis facultatem, accomodare res ad significandum, nec est proprium huius scientiae, quod res significent... *Primus modus* dupliciter potest intelligi: sc. universaliter et particulariter. Si *particulariter,* sic non excedit hominis potestatem; nam quilibet potest facere aliquos actus, vel aliquid artificiale et faciendo illa, intendere per illa significare etiam rem, ut patet. Sed quod omnia, quae narrantur gesta in tot historiis ut res ad doctrinam aliquam spectantes, ut sic sint *ex sui constitutione* signa aliarum rerum, hoc excedit humanam facultatem; hoc est proprium Dei; in hoc haec doctrina ceteras scientias excellit. Est igitur sensus litterae (i. e. verborum s. Thomae), quod accomodare res universaliter spectantes ad doctrinam, ad hoc ut signa sint, cum fiunt, est proprium huius doctrinae, quia hoc a solo Auctore huius doctrinae fieri potest».

Ad 1um ergo concedimus, res habere aliquam similitudinem cum iis, quae sensu spirituali significant. At similitudinem illam scriptor cognoscere et aliquo modo etiam innuere debet, quod communiter vix fiet, praecipue si illa significatio profundior est et ad futura refertur.

Ad 2um non negamus, aliquas res ab homine ita ordinari posse, ut alia significent. Sed cum cogitationes mortalium timidae sint et incertae providentiae nostrae (Sap. 9, 14), id in paucis tantum possibile erit, et tunc etiam significatio ipsa minus certa erit et nunquam illam sublimitatem assequetur, quae in sensu spirituali s. Scripturae reperitur.

Ad 3um dicendum, sensum spiritualem tunc potius Auctori primo i. e. Auctori s. Scripturae esse attribuendum, quam homini, qui ex Libris sacris eum tantummodo refert.

§ 16.

Num ubique in s. Scriptura sensus spiritualis inveniatur?

Quemadmodum quidam exegetae omnem sensum spiritualem negaverunt, ita fuerunt alii, qui in alterum extremum abeuntes, ubique in Antiquo Testamento typos, et per consequens et sensum spiritualem detegerent. Huius opinionis erat praecipue Cocceius, exegeta protestanticus saeculi 17., quem nonnulli discipuli in hoc secuti sunt. Qui ubique typos vident, *figuristae,* opinionis contrariae defensores *antifiguristae* appellantur. Nos, etsi cum s. Ambrosio teneamus, totum Vetus Foedus

typum fuisse Novi, nihilominius negamus, sensum spiritualem in qualibet Antiqui Testamenti phrasi inveniri.

PROBATUR: 1. **ex rei natura.** Inveniuntur in A. T. textus, qui nullum typi vestigium praeseferunt, sed primo aspectu iam solum sensum litteralem postulant. Sic risum moveret, qui Deuteronomii praeceptum (6, 5): «Diliges Dominum, Deum tuum, ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua», in sensu spirituali exponeret.

2. **Ex ss. Patrum et Theologorum testimonio.** *Tertullianus* (De resur. carnis c. 20): «Non omnia sunt imagines, sed et veritates, non omnia umbrae, sed et corpora»; quapropter postea concludit: «Plures voces prophetarum nudae et simplices, et ab omni allegoriae nubilo purae, defendi possunt; ut cum exitus gentium et urbium resonant, Tyri et Aegypti, et Babylonis et Idumaeae et Carthaginensium navium; ut cum ipsius Israelis plagas aut venias, captivitates, restitutiones ultimaeque dispersionis exitum perorant. Quis haec interpretabitur magis quam recognoscet? Res in litteris tenentur, ut litterae in rebus legantur.» «Mihi, ait *S. Augustinus* (De Civit. Dei 17, 3), sicut multum videntur errare, qui nullas res gestas in eo genere litterarum aliquid aliud praeter id, quod eo modo gestae sunt, significare arbitrantur, ita multum audere, qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt.» Et (C. Faust. 22, 94): «Sicut in cytharis et huiusmodi organis musicis non quidem omnia, quae tanguntur, canorum aliquid resonant, sed tantum chordae, cetera tamen in toto cytharae corpore ideo fabricata sunt, ut esset ubi vincirentur, unde et quo tenderentur illae, quas ad cantilenae suavitatem modulaturus et percussurus est artifex: ita et in his propheticis narrationibus, quae de rebus gestis hominum prophetico spiritu deliguntur, aut aliquid iam sonant significatione futurorum, aut si nihil tale significant, ad hoc interponuntur, ut sint unde illa significantia tamquam sonantia connectantur.» *S. Hieronymus* (in Jonam c. 1): «Apostolus Agar et Saram ad duo Testamenta refert et tamen non omnia, quae in historia illa narrantur, tropologice interpretari possumus . . . . . Illud etiam, quod ab eodem Apostolo scribitur: «Bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus», nequaquam nos arctat, ut omnem Exodi librum referamus ad Christum.» Saepe etiam Origenem, «allegoricum semper interpretem, qui historiae veritatem fugiat», carpit, immo eum «delirare», «somniare» dicit (cf. in Jerem. 27, 3. 9. 29, 14). Eandem doctrinam alii quoque Patres tenent.

Ex theologis sufficiat commemorare verba *S. Thomae* (Quodlib. 7., a. 15 ad 5um): «Quatuor isti sensus (i. e. litteralis, allegoricus, tropologicus, anagogicus) non attribuuntur Sacrae Scripturae, ut in *qualibet eius parte* sit in istis quatuor sensibus exponenda, sed quandoque istis quatuor, quandoque tribus, quandoque duobus, *quandoque uno tantum*»

Obi. 1. S. Paulus (1. Cor. 10, 11) clare asserit: «omnia in figuris contingebant illis», quod figuristarum opinioni favere videtur.

Resp. Apostolus scribit: «haec omnia», sc. ea, quae antea enumeraverat, non omnia àbsolute.

Obi. 2. Dominus dicit (Luc. 24, 44): «Quoniam necesse est impleri *omnia,* quae scripta sunt *in lege* Moysi et Prophetis et Psalmis de me», ex quo Duguet (in prooemio opusculi: Règles pour l'intelligence de l'Ecriture Sainte) concludit, omnia, quae in Veteri Testamento leguntur, ex ipsius Christi testimonio ad Messiam referri; at non in sensu litterali, ergo in spirituali.

Resp. Christus Dominus non dicit: *omnia* de eo scripta esse, sed *omnia quae de eo scripta* sunt, impleri necesse esse.

Obi. 3. Praeter Origenem, qui ut quilibet concedit, ubique sensum spiritualem quaerit, etiam S. Augustinus et Hieronymus huic sententiae alicubi favent. Primus enim scribit (Doctr. Christ. l. 3. c. 22): «Omnia vel pene omnia, quae in Veteris Testamenti libris gesta continentur, non solüm proprie, sed etiam figurate accipienda sunt.» Et alter: «Perspicue demonstratur, omnia illius populi in umbra et typo et imagine praecessisse» (Ad Dardan. ep. 129, 6). «Singuli sermones, syllabae, apices, puncta in divinis Scripturis plena sunt sensibus» (In epist. ad Eptes. 3, 6). «Post historiae veritatem spiritualiter accipienda sunt omnia» (Proleg. ad Comment. in Is.).

Resp. Non est tam certum, Origenem ubique in s. Scriptura nostrum sensum spiritualem admisisse; valde enim probabile est, eum loqui saepe de eo sensu spirituali, qui opponitur carnali, i. e. de sensu litterali improprio. Eodem modo exponenda sunt verba ss. Patrum in obiectione allegata, cum hisce vix contradicere voluerint iis, quae alibi clare asseruerunt. Aut dicendum est, eos textibus in obiectione citatis locutos esse de generibus singulorum, non de singulis generum, prout sc. ex omnibus classibus hominum et rerum et gestorum et ex omnibus periodis antiqui Testamenti aliqua inveniuntur, quibus sensus spiritualis subest.

§ 17.

Sensus spiritualis invenitur etiam in Novo Testamento.

Sensum spiritualem inveniri in Antiquo Testamento, ab omnibus catholicis conceditur; est enim res fidei proxima. Non ita se habet res quantum ad Novum Testamentum; aliqui enim in eo nullum typum agnoscunt, alii in Evangeliis quidem typos admittunt, non autem in oeconomia Novi Testamenti. Distinctionem hanc a se propugnatam P. Patrizi sequenti modo exponit (l. c. pag. 199): «Novum Testamentum vocamus tum divinam illam *οἰκονομίαν* illumque rerum

ordinem, quem Christus constituit, tum libros, in quibus haec eadem una cum gestis Christi scriptores divino Spiritu afflati litteris consignarunt. Animadverte tamen aliquibus librorum, quos «Novum Testamentum» dicimus, Evangeliis inquam, ea contineri, quae maximam partem, cum vetus etiam *οἰκονομία* obtineret, facta sunt; novam quippe veteri successisse, cum Christus mortem obiret, Paulus nos docuit: «Ubi enim», inquit, «testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris, testamentum enim in mortuis confirmatum est; alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est» (Hebr. 9, 163.). Quamobrem quaestio, an typi etiam in novo foedere sint, diversa ratione circa libros ac circa divinam ipsam *οἰκονομίαν* versatur; si enim de hac illud quaeramus, quaestio spectare nequit nisi ad ea, quae Christi morte posteriora sunt. Quibus praecognitis tota res facilius expeditur. Itaque, si typi tales habendi sint, quales definivimus, dicimus, quamquam secundum quorumdam Patrum sententiam typos nonnullos esse inter ea, quae in Evangelio commemorantur, putandum sit, nullos tamen post Christi mortem, i. e. post sublatum vetus testamentum, vel certe post adventum Spiritus sancti, i. e. post novum testamentum promulgatum, typos exstitisse».

Nos quidem concedimus, typos messianicos in novo Foedere non inveniri, at quantum ad reliqua asserimus, *in Novo Testamento tum ut liber est tum ut oeconomia sensum spiritualem adessse.*

Probatur:

1. *Ratione s. Thomae* (I. q. 1. a. 10): «Lex vetus figura est novae Legis, et ipsa nova Lex, ut dicit Dionysius, est figura futurae gloriae.» Quae accuratius evolvens (Quodl. 7. a. 15 ad 5um) ait: «In sacra enim Scriptura praecipue ex prioribus posteriora significantur; et ideo quandoque in sacra Scriptura secundum sensum litteralem dicitur aliquid de priori, quod potest spiritualiter de posterioribus exponi, sed non convertitur. Inter omnia autem, quae in sacra Scriptura narrantur, prima sunt illa, quae ad vetus testamentum pertinent; et ideo, quae secundum litteralem sensum ad facta veteris testamenti spectant, possunt quatuor sensibus (litterali, allegorico, tropologico, anagogico) exponi. Secunda vero sunt illa, quae pertinent ad statum praesentis Ecclesiae, in quibus illa sunt priora, quae ad caput pertinent, respectu eorum, quae pertinent ad membra; quia ipsum corpus verum Christi et ea, quae in ipso sunt gesta, sunt figura corporis Christi mystici et eorum quae in ipso geruntur, ut in ipso scilicet Christo, exemplum vivendi sumere debeamus. In Christo etiam futura gloria nobis praemonstrata est; unde ea, quae ad litteram de ipso Christo capite dicuntur, possunt exponi et allegorice, referendo ad corpus eius mysticum; et moraliter, referendo ad actus nostros, qui secundum ipsum debent reformari; et anagogice, inquantum in Christo est nobis iter gloriae demonstratum.

Sed quando secundum litteralem sensum dicitur aliquid de Ecclesia, non potest exponi allegorice, nisi forte ea, quae dicuntur de primitiva Ecclesia, exponantur quantum ad futurum statum Ecclesiae praesentis; possunt tamen exponi moraliter et anagogice.»

2. *Ss. Patrum auctoritate.* Plura ex illis argumentis Patrum, quae supra attulimus ad probandum sensum spiritualem in s. Scriptura, tam generalia sunt, ut Novum quoque Testamentum includant. Sed proferamus aliqua saltem, quae id in Novo Testamento expresse asserunt. *S. Ambrosius* (in Ps. 30. n. 25) id pro certo habet; scribit enim: «Primum igitur umbra praecessit, secuta est imago, erit veritas: umbra in lege, imago vero in Evangelio, veritas in coelestibus.» *S. Chrysostomus* (in Math. homil. 66) dicit Christum implentem prophetiam veterem, initium dedisse novae prophetiae «gestis suis futura praesignificantem». S. *Augustinus* exponens historiam hominis caeci a nativitate et a Christo sanati (Joan. 9) scribit: «Ea quae fecit Dominus noster Jesus Christus stupenda ac miranda et *opera* et *verba* sunt: opera quia facta sunt, verba *quia signa sunt.* Si ergo, quid significet hoc, quod factum est, cogitemus; genus humanum est iste coecus» etc. et prosequitur mysticam expositionem. *S. Gregorius M.* (in homil. 2 in Evang.) exponens miraculum, quo Christus coeco visum restituit prope Jerichuntem (Luc. 18), scribit: «Sed miracula Domini et Salvatoris nostri sic accipienda sunt, fratres charissimi, ut et in veritate credantur facta, et tamen per *significationem* nobis aliquid innuant. Opera quippe eius et per potentiam aliud ostendunt et per mysterium aliud loquuntur. Ecce enim, quis iuxta historiam coecus iste fuerit ignoramus; sed tamen quid per mysterium significet, novimus» etc. *S. Joannes Damascenus* (De fide orth. 4, 13) in ss. Eucharistiae sacramento typum beatitudinis coelestis vidit idemque asserit *Ecclesia* (in Missa de ss. Sacramento, in postcom.): «Fac nos quaesumus, Domine, divinitatis tuae sempiterna fruitione repleri, quam pretiosi corporis et sanguinis tui temporalis perceptio praefigurat.» Et revera, ss. Eucharistiae Sacramentum typus vitae aeternae est (cf. Math. 26, 29; S. Thomas, Summa p. 3. q. 60. a. 3).

3. *Exemplis.* Ipse s. Paulus in ea circumstantia, quod Christus Dominus «extra portam passus sit», videt rationem typicam (Hebr. 13, 1—13). — Navicula Petri ss. Patribus typus est Ecclesiae persecutiones patientis. — Destructio civitatis Jerusalem eo modo a Salvatore praedicitur, ut simul finem mundi praefiguret etc.

Obi. 1. S. Augustinus scribit (in verba Evang. S. Math. 13, 52): «Veniente imperatore, imagines tolluntur de medio. Ibi spectatur imago, ubi imperator praesens non est. Ubi est autem ille, cuius est imago, imago removetur. Imagines ergo praeferebantur, antequam veniret imperator noster Dominus Jesus Christus. Imaginibus sublatis fulget praesentia imperatoris».

Resp. Textus allatus probat tantum, in N. Testamento non dari vaticinia *messianica,* non aliud.

Obi. 2. Sensus spiritualis repugnat characteri N. Testamenti; hoc enim clarum est.

Resp. Novum Testamentum omni modo clarum esse, negare possumus, ipsis verbis Apostolorum (1. Cor. 13, 12; 2. Petr. 3, 16; 1. Joan. 3, 2) innitentes. Et de facto, plures textus, etsi in sensu litterali solummodo sumpti, tam sunt obscuri, ut necessario in eis ad Ecclesiae auctoritatem nobis recurrendum sit. Praeterea negamus, sensum spiritualem semper magnam involvere obscuritatem; non enim est hoc de eius essentia. Absque ullo dubio in pluribus locis sensus spiritualis clarior est, quam litteralis in aliis, ex. gr. in Apocalypsi.

Obi. 3. Antiquum testamentum respectu novi *umbra* dicitur, hoc *veritas.*

Resp. Ea quae sunt dicta typice in A. T., in novo describuntur ut impleta. Sed per hoc non excluditur, quod aliqua in Novo Testamento relata possint esse figurae futurorum, praesertim coelestium.

§ 18.

E sensu spirituali potest desumi argumentum efficax ad probandas res fidei.

S. Thomas (I. q. 1. a. 10 ad 1um) negare videtur, e sensu spirituali posse argumentari ad probandam aliquam veritatem. Dicit enim, sensum litteralem esse, «ex quo solo trahi potest argumentum, non ex iis, quae secundum allegoriam dicuntur, ut dicit Augustinus (epist. 43. contra Donat.)». Videmus etiam alios, qui ceterum de sensu spirituali recte sentiunt, eo non uti in probationibus. Inde posset aliquis concludere, sensui illo nullam vim probandi inesse.

Verum false sentiret. *Inest enim non solum sensui litterali, sed et spirituali vis probativa.*

Probatur 1. ex eius natura. Ostendimus supra, sensum spiritualem non esse solum aliquam accommodationem aut moralem applicationem, sed verum sensum s. Scripturae, seu veritatem a Deo intentam. Inde vim probativam habet.

2. *Exemplo auctorum sacrorum,* qui hoc argumentandi genere usi sunt. Hoc modo S. Paulus (Hebr. 1, 5) probat divinam Christi filiationem verbis, quae per Nathanem prophetam in sensu litterali Deus de Salomone dixerat: «Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium». Et s. Matthaeus (2, 15) reditum Christi ex Aegypto probat verbis: «Ex Aegypto vocavi Filium meum», quae verba in sensu litterali de liberatione populi israelitici ex servitute aegyptiaca valent.

Sed notandum est, hanc vim sensui spirituali non inesse, nisi de eo certo constet, quod absque dubio tunc locum habet, si de eo constat ex testimonio alicuius auctoris sacri aut ex Ecclesiae traditione. Sic verbis: «Ego ero ei in Patrem et ipse erit mihi in Filium», prout in 2. Reg. 7, 14 referuntur, nulla vis inesset ad probandam Christi filiationem, nisi ex Pauli testimonio constaret, ea in sensu typico de Messia fuisse pronunciata.

Et hoc modo intelligenda sunt verba s. Thomae initio allata; alibi enim (Quodlib. 7. a. 14. ad 4um) mentem suam hac de re fusius explicat sequentibus verbis: «Non est propter defectum auctoritatis, quod ex sensu spirituali non potest trahi efficax argumentum; sed ex ipsa natura similitudinis, in qua fundatur spiritualis sensus. Una enim res pluribus similis esse potest; unde non potest ab illa, quando in Scriptura sacra proponitur, procedi ad aliquam illarum determinate; sed est fallacia consequentis: verbi gratia, leo propter aliquam similitudinem significat Christum et diabolum; unde per hoc, quod aliquid de leone dicitur in sacra Scriptura, ad neutrum potest fieri processus, in sacra Scriptura argumentando». Ceterum, ut ipse idem theologorum princeps notat (I. q. 1. a. 10 ad 1um): «Non tamen ex hoc aliquid deperit sacrae Scripturae, quia nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per litteralem sensum alicubi manifeste non tradat».

Quodsi de sensu spirituali non constet ex verbis alicuius hagiographi aut Ecclesiae testimonio, et tamen alicui probabilis videatur, ad summum eo alias probata confirmare et illustrare poterit, non autem eum tanquam rationem peremptoriam adducere, praecipue contra incredulos aut haereticos.

Et hoc bene iam sciebant ss. Patres et in suis scriptis expresse asserebant, quapropter Protestantium quidam iniuste eorum expositionem, utpote nimis «allegoricam» vilipendunt. S. Basilius homil. 3, 9 in Hexaemeron hoc modo loquitur: «Aliquis etiam nobis adversus ecclesiasticos quosdam scriptores de discretis aquis (Gen. 1, 7) habendus est sermo, qui anagoges et sublimioris intelligentiae nomine confugerunt ad allegorias, adeo ut spiritales et incorporeas virtutes asserant per aquas tropice assignari. . . . . Tales sermones veluti somniorum interpretationes et aniles fabulas reiicientes aquam intelligamus aquam etc.» Et homil. 9, 1: «Novi leges allegoriae. Scripturarum communes notiones qui non suscipiunt, aquam non aquam dicunt, sed aliam quandam naturam, et plantam et piscem secundum suam ipsorum sententiam interpretantur; quin etiam reptilium et pecorum generationem ad suas allegorias detortam perinde exponunt, ut quidam rerum sese imaginationi per somnum obiicientium interpretes, qui suas interpretationes ad proprium consilium accomodant. Ego vero, cum foenum audio, foenum intelligo et plantam et piscem et bestiam et pecus, omnia sicut dicta

sunt, sic accipio. Non enim erubesco Evangelium». Audiatur et s. Augustinus (epist. 93. adv. Vinc.): «Quis nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat et manifeste testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?» Distinguebant igitur ss. Patres inter *probare* et *illustrare* vel *exhortari*. [1])

[1]) Cf. etiam verba Sixti Senensis (Bibl. S. l. 3. ed Ven. 1575 p. 262): «Hic tamen admonendi sunt, qui negotium exponendi sanctas Scripturas assumunt, ut medium in his expositionibus teneant et extrema, quae semper vitiosa sunt, fugiant. Nam sicut minime probandi sunt quidam nostri saeculi expositores, qui spretis mysticis sensibus, tanquam fortuitis cogitationibus et ad arbitrium excogitatis, dormitanti litterae perpetuo assident et solis mortuis syllabis et dictionibus incumbunt, frigidi, sine spiritu, exsangues et exanimes: ita graviter damnandi sunt inepti quidam nostrorum temporum expositores, qui, reiecta prorsus litterali expositione tanquam re levissimi momenti et grammaticis, ut aiunt, potius quam theologis digna, in singulis Scripturae locis coactas quasdam et insulsas allegorias protrahunt, vim inferentes divinae Scripturae et, destructa historiae veritate, ridiculas cogitationes suas venditant tanquam magna et arcana Ecclesiae sacramenta».

CAPUT V.
DE S. SCRIPTURAE ACCOMMODATIONE.

§ 19.

Accommodationis notio et usus.

Relinquitur, ut accuratius dicamus de accommodatione s. Scripturae, seu de eo quod aliqui interpretes et concionatores falso «sensum» accommodatum vel accommodatitium appellant.

1. Accommodatio adest, cum verba sacrae Scripturae accommodantur, i. e. applicantur alteri rei, differenti ab ea, quam verbis illis auctor sacer intendebat. Itaque praeter auctoris mentem verba affinguntur alteri rei propter aliquam analogiam. Quodsi nulla adsit analogia, neque accommodatio proprie dicta existit; tunc enim sola violenta detorsio et depravatio verborum locum haberet, non praeter sed contra auctoris intentionem.

2. Accommodatio duplex distingui solet: *extensiva* et *allusiva*.

a) *Accommodatio extensiva* adest, cum verba s. Scripturae sumuntur quidem iuxta sensum, quem habent, sed personae vel rei applicantur, de quibus non fuerunt enunciata, ut cum verba de Noe dicta: «Inventus est iustus et in tempore iracundiae factus est reconciliatio», alicui alteri sancto applicantur.

b) *Accommodatio allusiva* adest, cum verba s. Scripturae non sumuntur iuxta suum sensum, sed eis datur sensus omnino alius, ad quem tamen illa verba aliquo modo alludere videntur. In hac accommodatione similitudo non est in re significata, sed solummodo in verbis significantibus, ut cum verba (Ps. 17, 26 s.): «Cum sancto sanctus eris et cum perverso perverteris», quibus psaltes Deum alloquitur et dicit, eum in bonos bonum in malos inclementem fore, assumuntur ad designandum, hominem similem fore eis, cum quibus conversatur.

3. *Usus accommodationis servatis conditionibus debitis licitus est.*

Probatur:

a) *Quia nihil mali praesefert.* Si cautelae debitae servantur, nihil mali in ea deprehendi potest. Si enim res, quibus verba s. Scripturae

accommodantur, in se honestae sunt, nulla irreverentia hoc modo s. Scripturae irrogatur. Idem facere solemus cum verbis auctorum profanorum, quin aliquid iniuriosi agamus; immo sermonibus nostris eorum verba inserentes et ita orationem nostram decorantes, potius reverentiam eis exhibemus.

b) *Ex praxi Ecclesiae et Doctorum.* In libris liturgicis accommodationes frequenter occurrunt; sic sanctis novi Testamenti Ecclesia applicat illos textus, qui in s. Scriptura de personis determinatis antiqui Foederis edicuntur, ex. gr. illud quod de Noe dicit Ecclesiasticus, «Inventus est iustus, et in tempore iracundiae factus est reconciliatio»; vel illud de Jsaac dictum: «Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus» etc. (cf. Eccli. 44, 17. 25). In litaniis sanctorum summo Pontifici applicantur verba in psalmo (40, 3) de viro diligente pauperem dicta: «Dominus conservet eum et vivificet eum» etc.

SS. Patres accommodationibus usos esse in suis scriptis, quae praesertim ad fidelium aedificationem, non ad dogmata defendenda ediderunt, res tam certa est, ut inutile sit exempla afferre. Eos in hac re secuti sunt Doctores et praesertim concionatores.

4. *Cautelae,* quas in accommodationibus observare oportet, sequentes sunt:

a) Accommodatio nunquam pro sensu litterali venditetur i. e. nunquam ita proponatur, acsi esset sensus verus a Spiritu s. intentus. — Ratio manifesta est; etenim secus mendacium esset.

S. Hieronymus carpit huiusmodi interpretes et concionatores, «qui si forte ad Scripturas sanctas post saeculares litteras venerint et sermone composito aures populi mulserint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant nec scire dignantur, quid prophetae, quid Apostoli senserint, sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia; quasi grande sit et non vitiosum docendi genus, depravare sententias et ad voluntatem suam trahere Scripturam repugnantem. Quasi non legerimus Homerocentonas et Virgiliocentonas, ac non sic etiam Maronem sine Christo possimus dicere Christianum, quia scripserit:

> Jam redit et virgo, redeunt Saturnia regna,
> Jam nova progenies coelo demittitur alto;

et Patrem loquentem ad Filium:

> Nate, meae vires, mea magna potentia solus;

et post verba Salvatoris in cruce:

> Talia perstabat memorans, fixusque manebat.

Puerilia sunt haec» (ad Paulin. ep. 53, 7).[1])

---

[1]) Cf. verba S. Franc. Sales.: «L'Ecriture sainte doit être traitée avec plus de solidité et de révérence. Ce n'est pas une étoffe qu'on puisse tailler à son gré pour s'en faire des parements à sa mode» (Esprit de saint François de Sales, II. P. ch. 13).

b) Accommodatio nunquam adhibeatur ad aliquam rem probandam, tanquam esset argumentum ex ipsa s. Scriptura desumptum. — Si enim accommodationi aliqua vis probativa inesset, hoc non haberet ab auctoritate s. Scripturae, cum haec illum sensum non exhibeat.

c) Nunquam accommodare licet verba s. Scripturae rebus falsis aut absurdis aut ludicris et fabulosis. — Verbum Dei enim magna cum reverentia tractandum est; quapropter Concilium Tridentinum (Sess. 4) statuit: «Sacrosancta Synodus . . . temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quaeque convertuntur et torquentur verba et sententiae sacrae Scripturae, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat et praecipit, ad tollendam huiusmodi irreverentiam et contemptum, ne de cetero quisquam quomodolibet verba Scripturae sacrae ad haec et similia audeat usurpare, ut omnes huius generis homines temeratores et violatores verbi Dei, iuris et arbitrii poenis per episcopos coerceantur.»

d) Res, quibus verba sacrae Scripturae accomodantur, ne sint nimis dissimiles earum, quas Auctor sacer intendit, sed adsit semper aliqua analogia. — Secus enim s. Scriptura ridicula redderetur. Sic inconvenienter ageret, qui de Beatae Virginis Conceptione immaculata loquens, adhiberet verba (Ps. 9, 36): «Quaeretur peccatum illius et non invenietur», quae non de innocentia sed de magnis peccatoribus dicta sunt et indicant, Deum deleturum esse horum potentiam et memoriam.

§ 20.

Num ipsi hagiographi usi sint accommodationibus?

Probavimus, s. Scripturam interdum ab Ecclesia et viris catholicis accommodari rebus, quas auctor sacer non intendebat. Cum quaestione hac autem cohaeret altera eaque magni momenti, num accommodatione illa usi sint ipsi hagiographi, praecipue Novi Testamenti, et quousque illae accommodationes se extendant.

I.

Catholicorum aliqui concedunt, sacros Scriptores Novi Testamenti quandoque textus ex Antiquo Foedere suis rebus accommodasse, probantque exemplis:

1. Christus Dominus annunciat (Math. 7, 23) sententiam, quam in extremo iudicio in reprobos laturus est: «Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos: *discedite a me, qui operamini iniquitatem.*» Verba illa psaltae sunt (Ps. 6, 9), ubi absque dubio alium sensum praeseferunt.

2. S. Paulus (Rom. 10, 18) dicit de Apostolis, qui ubicunque terrarum Evangelium annuntiarunt: «In omnem terram exivit sonus

eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.» Sunt autem verba illa desumpta ex Ps. 18, v. 5., ubi de astris dicuntur praedicantibus maiestatem Dei omnibus, qui ea conspiciunt. Apostolus ergo ea accommodat per extensionem.

3. Idem Apostolus (2. Cor. 8, 15) ad eleemosinas extendit verba: «Qui multum, non abundavit, et qui modicum, non minoravit», quae in Exodo (16, 18) de Manna dicuntur.

4. Hebr. 13, 5 Apostolus omnibus christianis applicat verba: «Sint mores sine avaritia, contenti praesentibus, ipse enim dixit: Non te deseram neque derelinquam», quae Deus Josuae (Jos. 1, 5) dixerat, qui tamen non consideratur ut typus omnium Christianorum.

5. Apoc. 11, 4 dicitur de duobus testibus, qui in fine mundi apparebunt: «Hi sunt duae olivae et duo candelabra in conspectu Domini terrae stantes», quae deprompta esse creduntur e Zach. 4, 14 ubi, ut videtur, ad Zorobabelem populi ducem et Josue, summum pontificem, referuntur.

Proferunt etiam convenientiae rationem: non est, cur res, in se minime mala, sacris Scriptoribus omnino denegetur. Nulla hoc modo iniuria fertur Scripturae sanctitati, neque id attestatur sacrorum Scriptorum ignorantiam, cum non sit necesse, ut ille, qui per accommodationem aliquem textum refert, eius verum sensum ignoret.

Et addunt, magnum discrimen intercedere inter accommodationem Scriptoris sacri et hominis alius. Si enim hic phrasim aliquam Scripturae alteri rei applicat, sensus ille est hominis accommodantis et non gaudet alia auctoritate quam humana. Si autem aliquis scriptor sacer phrasim alterius hagiographi accommodat, habetur sententia inspirata, verbum Dei. Sic cum s. Paulus affert psaltae verba: «In omnem terram exivit sonus eorum etc.», haec rei novae accommodantur; sed cum s. Paulus ipse sit auctor inspiratus, sententia eius veritas est divina, i. e. Deus verbis illis, prout ab Apostolo adhibentur, revera dicit: Apostolos Evangelium ubique praedicasse, etsi apud Psaltem eadem verba alium sensum habeant.

Alii vero huiusmodi accommodationes hagiographis abiudicant et exempla allata nihil probare contendunt, cum textus illi in Novo Testamento bene possint adhiberi in sensu spirituali atque a ss. Patribus et theologis ita revera exponantur. Patroni sensus litteralis multiplicis praeterea admissione secundi sensus litteralis difficultates huiusmodi interdum solvere conantur.

II.

Sed etsi aliquot accommodationes huiusmodi in Novo Testamento inveniantur, tamen *falsum est, omnes allegationes ex Antiquo Foedere in Novo* meras accommodationes esse.

Thesis haec est contra inimicos religionis Christianae, qui vaticiniis ex Antiqua lege in Nova allatis omnem vim auferre conantur. Primus qui hunc errorem affirmavit, Theodorus Mopsuestenus fuisse dicitur, damnatus in hoc a synodo V. oecumenica. Eidem errori Sociniani quoque adhaeserunt, neque omnino immunem ab eo se ostendit Grotius.

Probatur thesis nostra:

1. *Argumento magis generali:* Si hagiographi N. T. prophetarum vaticinia semper in sensu accomodato applicassent Christo Domino et corpori eius mystico, id fuisset aut

a) quia Vetus Testamentum in vero sensu nihil de Christo contineret, aut

b) quia hagiographi ignorassent huiusmodi vera vaticinia vel eorum sensum, aut

c) quia consulto noluissent ea in sensu vero allegare.

Sed omnes hae hypotheses falsae sunt.

Falsum est, Vetus Testamentum nihil de Christo praedicere; contradicit enim hoc iam consensui Judaeorum, consensui Christianorum, praesertim vero aperto Christi Domini testimonio (Luc. 24, 25 ss. 44): «Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me».

Falsum est, Apostolos et Evangelistas huiusmodi vera vaticinia aut eorum sensum genuinum ignorasse. Multa enim eorum erant omnino clara et ab omnibus Judaeis admissa, ita ut solos Apostolos et Evangelistas excipere, non adsit ratio sufficiens. Et si ignorassent, absque dubio de eis a Christo Domino edocti fuissent.

Falsum est, hagiographos consulto vaticinia prophetarum solum per accommodationem allegare voluisse et veras praedictiones consulto praetermisisse. Appellant enim ad ea frequenter et quidem ut ad argumenta. Jamvero solis accommodationibus vis probativa non inest.

Occurrunt ergo in Novo Testamento verae allegationes et non tantum accommodationes.

2. *Argumento magis speciali.* Posset thesis nostra probari expositione singularum allegationum. Sed cum hoc tractationem longam exposcat, alio modo, qui indirectus sed brevior est rem absolvemus.

Illae allegationes in sensu vero, genuino sunt accipiendae, quarum *finis* et *formulae* id requirunt; sed finis et formulae multarum allegationum in Novo Testamento requirunt, ut hae in suo sensu vero, genuino sint sumptae; ergo.

Maior patet; probatur minor, et quidem primo quantum ad *finem.* Saepius in Novo Testamento occurrunt verba (Ps. 2, 7): «Filius meus es tu, ego hodie genui te». Hebr. 1, 5 s. Paulus hoc textu probat,

Christum esse Dei Filium; Hebr. 5, 5 iisdem verbis probat eius aeternum sacerdotium, et Act. 13, 33 eum resurrexisse. Jamvero inutiliter et falso illa verba allegasset in sua argumentatione, nisi revera fundamentum continerent illarum veritatum, quas probare vult.

Christus Dominus (Math. 22, 41 s) ex iisdem verbis demonstrat, Messiam non esse purum hominem, quo argumento Judaei tam confusi sunt, ut nemo ei respondere potuerit.

S. Petrus (Act. 3, 25 ss.) ex verbis ad Abrahamum dictis: «Benedicentur in semine tuo omnes gentes» (Gen. 12, 3; 18, 18; 22, 18) demonstrat, salutem mundo ex Judaeis venisse etc.

Cum ergo hagiographi huiusmodi textibus aliquam veritatem probare voluerint, necesse est eos verba in sensu vero usurpasse, quia alias nihil probassent.

Probatur minor secundo quantam ad *formulas*. Plures textus non allegari per solam accommodationem, sed in suo sensu vero, ostendunt formulae, quas hagiographi saepe numero adhibent. Sic cum dicunt, aliquid factum esse, «ut impleretur quod scriptum est», «ut impleretur Scriptura», ex. gr. Luc. 24, 44 s., quod verum *implementum* involvit.

PARS SECUNDA.

HEURISTICA
SEU DE SENSU INVENIENDO.

§ 21.
Dicendorum conspectus.

Absolutis iam iis, quae de sacrae Scripturae sensibus dicenda erant, ad regulas pergere oportet, quarum ope illi sensus eruantur. Huiusmodi regulae triplicis sunt generis, prout sc. spectant sacram Scripturam 1° inquantum est liber sermone humano conscriptus, 2° inquantum est liber divinus seu Deum habens auctorem, 3° in quantum est liber Ecclesiae traditus ad custodiendum et exponendum. Hinc tres enascuntur sectiones partis Heuristicae:

1. *Heuristica rationalis.* 2. *Heuristica christiana.* 3. *Heuristica catholica.*

Omnia haec ad scientificam Scripturae expositionem pertinent, quia non sufficit sub uno tantum respectu dictum interpretandum considerare et alios omittere, sed sub omni respectu, quem dictum exponendum involvit.

Quia autem rationalistae quaedam falsa interpretationis principia excogitaverunt, ea in fine huius partis breviter perstringemus, ut principia vera vel clarius pateant.

SECTIO PRIMA.

HEURISTICA
RATIONALIS.

§ 22.

Ratio huius tractationis eiusque divisio.

Deum lingua humana usum esse in s. Scriptura, ut nobis veritates suas revelaret, ab omnibus admittitur. Oportet igitur omnes illas regulas commemorare, quae utiles sunt ad hoc, ut dicti humani sensus genuinus eruatur.

Ut autem sermonis humani sensum rite eruamus, plura consideremus necesse est. Primo enim scire oportet significationes vocabulorum, quae auctor adhibet seu aliis verbis: oportet scire *usum loquendi* auctoris. Elementum hoc est philologicum.

Deinde, quia vocabula plures habere possunt significationes, determinare oportebit, quid auctor hic et nunc illo vocabulo exprimere voluerit, quod fit ope certorum *criteriorum internorum et externorum*. Criteria interna sunt, quae ex ipsa sermonis materia desumuntur, prout scilicet auctor hac vel illa voce, iuxta leges cogitandi, hoc in contextu, hoc vel illud exprimere voluit. Hoc elementum est igitur magis logicum. Demum adhibenda sunt criteria externa, inquantum sc. sensus inventus accuratius determinatur ex quibusdam adiunctis historicis, uti sunt: scopus auctoris, personae quibus sermo aut liber destinatus est etc. Haec criteria sunt externa, historica.

CAPUT VI.
DE USU LOQUENDI.

§ 23.
Notio et divisio usus loquendi in genere.

Usus loquendi definitur: «Constans nexus inter vocabula et eorum notiones, hominum consensu (conventione virtuali) formatus.»

Considerandus est autem usus loquendi non solum sub respectu *lexicali,* sed etiam sub respectu *grammatico* et *syntactico.*

Usus loquendi sub respectu lexicali est coniunctio eiusdem notionis cum eodem vobaculo; inquantum autem notionum relationes certis quibusdam formis et certo vocabulorum ordine exprimuntur, habetur usus loquendi grammaticus et syntacticus.

Ratio usus loquendi manifesta est. Cum enim vocabula, vocabulorum formulae et ordo ab hominum arbitrio dependeant, ut homo sermonem alterius intelligat, necesse est, ut usu certis quibusdam vocabulis certae significationes affingantur, et certis quibusdam vocabulorum formulis et ordine certae notionum relationes exprimantur.

Quae cum ita sint, in propatulo est, quemlibet interpretem usum loquendi auctoris, cuius dicta expositurus est, nosse debere, secus enim nunquam eius sensum assequi poterit.

Usus loquendi varie dividitur:

1. Respectu *ambitus* est: a) *generalis,* si communis est omnibus hominibus eadem lingua utentibus; b) *particularis,* si alicui classi hominum tantum communis est; c) *singularis* seu *individualis,* qui apud unum auctorem deprehenditur, certas notiones certis quibusdam vocibus exprimentem.

2. Respectu *obiecti* usus loquendi est: a) *profanus,* si obiectum eius profanum est; b) *sacer,* si obiectum sacrum est; hic iterum subdividitur in: α) *biblicum,* β) *ecclesiasticum,* γ) *patristicum.*

3. Respectu *scientiarum* dividitur in: a) *theologicum,* b) *philosophicum,* c) *iuridicum,* d) *officialem* sive *curialem.*

4. Respectu *styli* dividitur in: a) *prosaicum,* b) *poeticum,* c) *didacticum,* d) *familiarem.*

5. Respectu *linguarum mutationis* dividitur in: a) *primaevum,* b) *antiquum,* c) *recentiorem,* d) *recentissimum.*

Ex hac divisione iam patet, constantiam illam, quae ad usum loquendi requiritur, non esse absolutam sed relativam; admittit enim usus loquendi variationem. Sunt autem sequentia adjuncta, quae illam variationem causare solent:

1. *Tempus;* iam Horatius (De arte poet. 69—72) bene asseruerat:

> «Nedum sermonum stet honos et gratia vivax:
> Multa renascentur, quae iam cecidere cadentque,
> Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
> Quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi.»

Hac de causa sermo est saepe de archaismis i. e. de dictionibus obsoletis, et de neologismis seu de dictionibus recenter introductis.

2. *Locus;* in eadem enim lingua ob regionis diversitatem saepe eadem vox alio modo pronunciatur, nova significatione donatur, immo novae voces formantur; sic iam s. Petro Hierosolymis dictum est: «Vere Galilaeus es, nam loquela tua manifestum te facit» (Matth. 26, 73).

3. *Religio;* haec enim efficit, ut verbis quandoque subsit significatio differens ab ea, quam in vita communi habent, ut hebr. עָשָׂה in lingua vulgari «fecit», in cultu divino saepe «sacrificavit» significat.

4. *Ingenii cultura;* quanto enim scientia aliqua excolitur, tanto maior apparet copia verborum et significationum. Inde etiam exsurgit illa differentia inter linguam eruditorum et idiotarum.

5. *Forma reipublicae civilis et ecclesiasticae;* harum diversa ratio diversum etiam modum loquendi creat. Huc spectant illa nomina in Novo Testamento frequenter occurrentia: «scribae», «pontifex anni illius», «archisynagogus», «synedrium» etc.

6. *Mores, consuetudines populi;* huc pertinent ex. gr. diversi tropi, qui a vita nomadica, pastoritia desumuntur, quos difficile lector intelliget, nisi mores et consuetudines, ad quas alluditur, ei notae sint.

§ 24.

Notio et divisio usus loquendi biblici.

Usus loquendi s. Scripturae duplex est: *hebraicus* (cum *aramaico*) et *graecus.*

1. Maxima pars librorum Antiqui Testamenti conscripta est in lingua *hebraica,* quae dialectus fuit linguarum semiticarum, et earum ramo septentrionali propior quam meridionali.

Lingua hebraica, quemadmodum et aliae linguae semiticae, stabilior quidem fuit quam linguae nostrae, at nihilominus mutatio in ea

deprehenditur. Possunt in eius historia praecipue duae periodi distingui, quarum prima duravit usque ad exilium babylonicum, altera tempus post exilium spectat. In prima harum periodorum lingua hebraea magis pura fuit, nonnisi paucos aramaismos continens et ad florem suum pervenit praesertim sub prophetis praeexilicis. In periodo altera aramaismi abundant, et denique lingua hebraica dialecto aramaicae locum cessit (ca. an. 200 a. Chr.).

In dialecto *aramaica* scriptae sunt quaedam partes Antiqui Testamenti, sc. Danielis 2, 4^b — 7, 28, Esdrae 4, 8 — 6, 18 et 7, 12 — 26, Jer. 10, 11.

2. In lingua *graeca* compositus fuit liber Sapientiae, secundus liber Maccabaeorum et omnes libri Novi Testamenti excepto Evangelio s. Matthaei; praeterea quaedam partes deuterocanonicae Antiqui Testamenti ad nos non pervenerunt in sua lingua primitiva, sed in lingua graeca, quae propterea nunc illis in partibus linguae originalis locum tenet.

Saec. 17. controversia erat, praesertim inter Protestantes, de linguae graecae, in qua Libri sacri conscripti sunt, puritate. Aliqui enim, qui propterea «puristae» dicti sunt, linguam illam omnio puram, accuratam vocabant, alii, «hebraistae», eius imperfectionem demonstrabant. Quemadmodum multis in rebus, ita hic quoque viam mediam tenere oportet. Lingua enim graeca librorum sacrorum neque omnino pura est neque omnino corrupta, sed est illa dialectus communis (*διάλεκτος κοινή*), quae a tempore Alexandri Magni, imprimis in eius regni regionibus, adhibebatur et a Judaeis etiam quaedam vocabula nova, formes novas et significationes novas accepit, quapropter «lingua Hellenistarum» dicitur. Judaei enim linguae graecae non sufficienter gnari et novas etiam ideas et res exprimere conantes, vocabulis graecis affingebant significationes ab usu graeco differentes, novas voces componebant ad genium linguae graecae parum attendentes, et vocabula etiam ordine disponebant nec non propositiones coniungebant more suae linguae patriae. Hinc ergo illa differentia inter linguam atticam puram et inter linguam hellenistarum, in qua libri sacri Antiqui Testamenti conscripti sunt. Eadem lingua habetur quoque in Novo Testamento, ubi tamen interdum novas proprietates habet, quia Scriptores sacri in ea ideas omnino novas, christianas, expresserunt.

Oportet igitur in libris sacrae Scripturae graece exaratis quadruplicem usum loquendi distinguere:

1. *usum loquendi graecum deterioris notae,* qui apud alios etiam illius aevi scriptores reperitur;

2. *usum loquendi hebraisticum,* i. e. hebraismos, aramaismos, rabbinismos, qui aliis quoque scriptis Hellenistarum inhaerent;

3. *usum loquendi Novo Testamento peculiarem,* qui sc. ab eius auctoribus formatus, eis plus minus communis est;

4. *usum loquendi individualem,* quo hic vel ille auctor utitur.

Exempla hebraismorum et aramaismorum: *ἀββᾶ* (אַבָּא) «pater»,(Marc. 14, 36; Rom. 8, 5), *ἀκελδαμά* (חֲקַל דְּמָא), «ager sanguinis» (Mtth. 27, 8; Act. 1, 19), *ἀλληλούϊα* (הַלְלוּ־יָהּ), «laudate Dominum» (Apoc. 19, 1. 3. 4. 6), *βοανεργές* (בְּנֵי רְגֶשׁ), «filii tonitrui» (Marc. 3,17), *υἱὸς εἰρήνης* «filius pacis» Luc. 10,6 pro homine pacifico etc. — Exempla rabbinismorum: *παράκλησις τοῦ Ἰσραήλ* «consolatio Israel» Luc. 2,25 pro Messia, et modi allegationis ut *ἐπὶ τῆς βάτου,* «in rubo» i. e. in eo Pentateuchi loco, qui refert historiam rubi ardentis (Exod 3, 2 ss), *ἐν Ἠλίᾳ* i. e. 3 Reg. 19, 10 ss. — Exempla latinismorum: *σουδάριον* (Act. 19, 12), *κουστωδία* (Matth. 27, 65); *ἱκανὸν ποιεῖν τῷ ὄχλῳ* «satis facere populo» (Marc. 15, 15) etc. — Exempla elementorum christianorum: *ἀντίχριστος* «Christi adversarius» (1. Ioan. 2, 18 al.), *βάπτισμα* ritus sacer s. Joannis Baptistae et deinde sacramentum baptismi (Matth. 3, 7; 11, 11 al.), *βασιλεία τοῦ θεοῦ, τῶν οὐρανῶν* «ecclesia Christi» (Matth. 6, 10. 33. 13, 11 al), *ἐκλεκτοί* «Christiani» (Matth. 22, 14; Rom. 8, 33. al.), *χεῖρας ἐπιτιθέναι* «sacris initiare», «confirmare» *Χριστὸν ἐνδύσασθαι* (Christum induere) i. e. Christo impleri et iuxta eius voluntatem vivere (Rom. 13, 14; Gal. 3, 27) etc.

§ 25.

Fontes usus loquendi generatim.

Cum usus loquendi tanti momenti sit, scire oportet, quomodo cognoscatur. Hac in re autem primum attendere oportet ad id, utrum lingua, cuius usus loquendi quaeritur, viva sit an emortua. Si viva est, tunc usus loquendi cognoscitur ex consuetudine quotidiana et exercitio tum orali tum litterali. Si autem lingua illa iam emortua est, tota res est quaestio facti, indeque testimoniis fide dignis dijudicanda.
Testimonia illa sunt duplicis generis: *directa* et *indirecta.*

1. *Directa testimonia* sunt:

a) Omnes auctores, quibus illa lingua, de cuius usu loquendi quaeritur, erat vernacula, et qui in ea opera conscripserunt;

b) illi auctores, quibus illa lingua vernacula quidem non erat, at qui tempore, quo illa vivebat, eam didicerunt et in ea opera composuerunt.

2. *Indirecta testimonia* sunt:

a) Ii auctores, quibus illa lingua vernacula erat, at ipsi non in ea, sed in alia, opera ad usum loquendi cognoscendum utilia exararunt, ut lexicographi, commentatores, glossatores, translatores;

b) auctores, qui lingua illa ipsa quidem opera sua composuerunt, sed tempore, quo iam non adhibebatur in usu communi.

3. Si haec testimonia desunt, aut etiam ad usum loquendi iam notum illustrandum et confirmandum recurrere licet ad *subsidia,* quae sunt: *etymologia, analogia linguae* et *dialecti cognatae.*

a) *Etymologia* definitur: investigatio aut significationis primigeniae alicuius vocis ex eius elementis et radice, aut significationis secundariae ex similitudine aliqua vel nexu quodam cum significatione primigenia.

Etymologiam interdum exegetae valde utilem esse, ab omnibus conceditur. At simul negari non potest, ea non raro abuti auctores non attendentes ad modum, quo homines res denominant. «A proprietatibus enim exterioribus,» ut bene advertit s. Thomas, «plerumque nomina imponuntur ad significandas rerum essentias» (Sum. th. I. q. 18, a. 2). Verum non omnes homines eodem modo res inspiciunt; alii enim hanc proprietatem praecipue advertunt, alii aliam, quo fit, ut non raro nexus inter significationem primigeniam et derivatam nobis occultus remaneat. Sic v. gr. vox «leo» in sua significatione derivata regem potentem vel virum fortem vel virum magnanimum vel etiam hominem saevum denotare potest. Inde certitudo non aderit, nisi constet, qua ex parte illa similitudo cum leone accipiatur.

1. *Analogia linguae* definitur: similis similium delineatio. Cum enim homines sua sensa aliis intelligibilia reddere conentur, similes notiones et notionum relationes similibus formis exprimere solent. Sic ex. gr., cum constet, in graeco formam verbi *μαι σαι, ται* passivum designare, si eadem forma in aliqua voce occurrit, passivum adesse non absque ratione concludimus. At erraret omnino, qui semper analogiae linguae confideret; occurrunt enim etiam exceptiones, ut de exemplo allato constat, cum in graeco dentur etiam verborum formae *μαι, σαι, ται,* quin passivum significent.

2. *Dialecti cognatae* saepe magno sunt emolumento, praesertim quando significatio vocis alicuius ignoratur, et in lingua cognata vox illa bene nota est. Sic ex. gr. optime phrasis «terram comedes» עָפָר תֹּאכַל (Gen. 3, 14) illustratur ex lingua assyriaca, hebraeae cognata, ubi (in litteris Tell-el-amarnensibus) legitur: «u tidagalu aiabunu u tikalu ipra» i. e. videant id inimici nostri et pulverem comedant i. e. confundantur. At hic quoque attentione quam maxima opus est, cum eidem voci non semper in omnibus dialectis eadem significatio subsit. Sic vox לֶחֶם in hebraeo «panem» significat, at in arabico «carnem». Non licet ergo semper significationem vocis assumere, quam in dialecto cognata habet, quia ita dialectorum ratio tolleretur et expositionibus arbitrariis porta latissima aperiretur, cum quilibet tunc ex dialectis cognatis eam significationem assumere posset, quae eius opinioni praeconceptae faveret.

§ 26.

Fontes usus loquendi biblici.

Cum linguae, in quibus Libri sacri conscripti fuerunt, nunc emortuae sint, usus loquendi biblicus eis mediis inquirendus est, quibus linguae emortuae usus loquendi investigatur.

I.

FONTES USUS LOQUENDI HEBRAICI.

1. *Fons directus* nullus datur praeter ipsos Libros sacros hebraice conscriptos, cum praeter illos Libros nullus alius liber hebraicus ex illo tempore, quo lingua hebraica in usu erat, ad nos pervenerit. Hinc ante omnia hos Libros sacros frequenter legere oportet, quia dictiones obscurae persaepe ex orationis contextu, ex libri argumento, fine aliisque adiunctis explicantur. Dantur etiam textus, in quibus dictio alibi obscura, clarius exprimitur. Valet igitur etiam de usu loquendi biblico, quod s. Augustinus de lingua vernacula asserit: «Si ipsius linguae nostrae aliqua verba locutionesque ignoramus, legendi consuetudine audiendique innotescunt. Nulla sane sunt magis mandanda memoriae, quam illa verborum lectionumque genera, quae ignoramus: ut cum vel peritior occurrerit, de quo quaeri possint, vel talis lectio, quae vel ex praecedentibus vel consequentibus vel utrisque ostendat, quam vim habeat quidne significet, quod ignoramus, facile adiuvante memoria possimus advertere et discere.» Et s. Scripturae illa applicans, ait: «Prima observatio est, nosse istos libros, etsi nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriae vel omnino incognitos non habere . . . . Tum vero facta quadam familiaritate cum ipsa lingua divinarum Scripturarum, in ea, quae obscura sunt, aperienda et discutienda pergendum est, ut ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, et quaedam certarum sententiarum testimonia dubitationem incertis auferant» (S. Aug. De Doctr. Chr. 2, 14. 9).

Hac in re multum iuvant *concordantiae,* i. e. collectiones vocabulorum, quae in s. Scriptura leguntur, ordine alphabetico dispositae, addito semper textu, in quo vocabulum invenitur. Cum vocabula in diversis contextibus appareant et in diversis adiunctis, ex comparatione textuum vocabulorum sensus persaepe erui potest. Concordantiae ss. Patribus ignotae erant et vix necessariae, quia ii s. Scripturam universam fere memoriter tenebant. Primam concordantiam composuit Card. *Hugo a S. Caro* O. Praed. († 1263), et libri eius talis est utilitas, ut innumeras editiones nactus fuerit simulque ad eius exemplum concordantiae in s. Scripturae textum graecum et hebraicum adornatae fuerint.[1])

---

[1]) Primas concordantias *hebraicas* adornavit *R. Isaac Nathan* (saec. 15,) quae primum Venetiis (1523), deinde saepius, typis editae fuerunt; *Marius de*

2. *Fontes indirecti:*

a) Inter hosce primum locum tenent antiquae *versiones,* quoniam ut s. Augustinus dicit: «Plurimum . . iuvat interpretum numerositas collatis codicibus inspecta atque discussa»; «nam nonnullas obscuriores sententias plurium codicum saepe manifestavit inspectio» (De Doctr. Christ. 2, 14. 12.). Sic illud Ps. 18, v. 4: אֵין אֹמֶר וְאֵין דְּבָרִים בְּלִי נִשְׁמָע קוֹלָם, in quo recentiores quidam «interpretum crucem» vident et verba variis modis exponunt, optime explicatur versionibus: LXX, Vulgata, Aquilae, Symmachi, Theodotionis, Pesitta, Targume clamantibus, sensum huius textus esse: laudem Dei, quam coeli et firmamentum, dies et nox praedicant, concionem esse in lingua bene intelligibili.

Versiones non omnes eiusdem sunt valoris, sed illae praeprimis consulendae sunt, quae antiquitate excellunt et textum originalem accuratius reddunt. Primum tempore et auctoritate locum tenet versio Alexandrina, Septuaginta vocata, quae etiam textum hebraeum antiquiorem exhibet, quam hodiernus massoreticus. Veniunt deinde aliae versiones graecae: Aquilae, Symmachi, Theodotionis et reliquae hexaplares,[1]) Vulgata, Targumim, versiones syriacae et praesertim illa, quae Pesitta vocatur, deinde versio a S. Hieronymo ex hebraeo adornata, versiones copticae et praecipue copto-sahidica, quae textum versionis Septuagintaviralis refert, ut ante Origenis Hexapla existebat.[2]) Minoris pretii, at non spernenda est versio aethiopica et arabica.

b) *Commentatores* antiqui sive iudaici sive christiani, et inter hosce praesertim ss. Patres, qui quidem praeprimis ad usum loquendi graecum et latinum cognoscendum utiles sunt, sed etiam hebraicum referunt, tum quia per traditionem multa tenentes, ea narrant in suis commentariis, tum etiam quia sibi quasdam locutiones biblicas proprias fecerunt, etsi hae genio linguae eorum repugnarent. De his audiatur iterum s. Augustinus: «Non solum verba singula sed etiam locutiones saepe transferuntur, quae omnino in linguae latinae usum, si quis consuetudinem veterum, qui latine locuti sunt, tenere voluerit, transire non possunt.» Et: «tanta est vis consuetudinis etiam ad discendum, ut qui in Scripturis sanctis quodammodo nutriti educatique sunt, magis alias

---

Calasio O. Min. alias, perfectiores, edidit (Romae 1621), adiectis variantibus Vulgatae et Alexandrinae versionis. Recentius prodierunt duae: primae auctore *Jul. Fürst,* adiuto a *F. Delitzsch* (Lipsiae 1840), alterae auctore *Sal. Mandelkern:* Veteris Testamenti Concordantiae hebraicae atque chaldaicae, Lips. 1896.

[1]) Versiones illae hexaplares, prout conservatae sunt, optime editae sunt a *Fried. Field:* Origenis Hexaplorum quae supersunt. Oxonii 1875. Recentissime *G. Mercati* invenit in bibliotheca Ambrosiana (Mediolani) Origenis Hexapla ad undecim Psalmos (cf. Rendiconti del r. Jst. Lomb. di sc. e lett., Serie II, Vol. XXIX, 1896).

[2]) Cf. hac de re Aug. Ciasca: Sacrorum Bibliorum Fragmenta Copto-Sahidica. Vol 2. pag. V. ss. Rom. 1889.

lectiones mirentur easque minus latinas putent, quam illas, quas in Scripturis didicerunt, neque in latinae auctoribus reperiuntur» (De Doctr. Christ. 2, 13. 14).

c) *Traditores occasionales,* i. e. ii auctores, qui commentarios proprie dictos quidem in s. Scripturam non scripserunt, sed nihilominus occasione data quasdam dictiones hebraicas exponunt. Huc spectat ex. gr. Flavius Josephus, qui etsi versionem alexandrinam secutus sit, saepe ipsum textum originalem contulit; deinde patres apostolici, apologetae aliique scriptores ecclesiastici.

d) *Grammatici et lexicographi recentiores.*[1])

---

[1]) Non est nobis in animo, omnes grammaticas et omnia vocabularia exegetis utilia hic referre; sufficiat principalia indicare. Primas *grammaticas hebraicas* rabbini medii aevi composuerunt eosque ex christianis primus *Petrus Niger* O. Praed. († 1490) secutus est. Ex recentioribus notatu digniores sunt: *C. H. Vosen:* Rudimenta linguae hebraicae»; germ. denuo edita a Fr. Kaulen (ed. 14. Friburgi Brisg. 1881). Ex protestantibus praesertim *Guil. Gesenius:* Hebräische Grammatik (ed. 25 cura *E. Kautzsch,* Lips. 1889).

Grammaticae aramaicae: Herm. Zschokke: Institutiones fundamentales linguae aramaicae. Vindob. 1870. *E. Kautzsch,* Grammatik des Biblisch-Aramäischen. Lips. 1884. *H. L. Strack,* Abriss des biblischen Aramäisch. Lips. 1896. *Karl Marti:* Kurzgefasste Grammatik der biblisch-aramäischen Sprache, Berolini 1896.

Grammaticae syriacae: Theod. Nöldeke: Kurzgefasste syrische Grammatik. Lips. 1880. *Eb. Nestle:* Syrische Grammatik. Berolini 1888.

Grammaticae arabicae: Herm. Zschokke: Institutiones fundamentales linguae arabicae. Vindob. 1869. *A. Socin,* Arabische Grammatik, 3. ed. Berolin. 1894. *D. Vernier S. J.,* Grammaire arabe, Berythi 1891.

Grammaticae aethiopicae: Aug. Dillmann, Grammatik der äthiopischen Sprache, Lips. 1857. *F. Praetorius:* Aethiopische Grammatik, Lips. 1886. (prodiit etiam latine).

Grammaticae copticae: L. Stern, Koptische Grammatik, Lips. 1880; *P. Steindorf,* Koptische Grammatik, Berolini 1894.

Lexica hebraica iam ss. Patribus innotuerunt. Consulenda sunt praecipue opera: *Guil. Gesenii:* Thesaurus philolog. criticus linguae hebr. et chald. Lips. 1835—53; eiusdem: Hebräisches u. aramäisches Handwörterbuch, ed. 11 cura *F. Mühlau, W. Volck* et *D. H. Müller,* Lips. 1890. Gesenii Vocabularium latine et catholice edidit *P. L. B. Drach* (Paris 1848). *C. Siegfried et B. Stade:* Hebräisches Wörterbuch zum alten Testamente. Lipsiae 1893.

Lexica syriaca: R. P. Smith, Thesaurus syriacus, Oxon. 1879 ss. *C. Brockelman:* Lexicon Syriacum, Berolin. 1895. *J. Brun* S. J.: Dictionarium syriaco-latinum. Berythi 1895.

Lexica Arabica: G. W. Freytag: Lexicon Arabico-latinum. Halis Saxonum 1830. Vocabulaire Arabe-Français à l'usage des étudiants. Beyrouth 1888.

Lexicon aethiopicum: Aug. Dillmann: Lexicon linguae aethiopicae cum indice latino. Lips. 1805.

Lexicon copticum: Am. Peyron: Lexicon linguae copticae, Taurini 1835. et eius auctaria a *M. Kabis* (Zeitschrift für ägypt. Sprache 1874—76) et *A. Bsciai* (ibid. 1886—1888). Ed. 2. cum auctariis Berolin. 1896.

3. *Subsidia.* Cum de linguis semiticis hisce ultimis decenniis institutae fuerint multae investigationes, quam plurima ex iis tum quoad etymologiam tum quantum ad id, quod linguae analogiam et dialectos cognatas diximus, utiliter desumuntur. Praecipue comparare iuvat linguam Phoenicum, utpote linguae hebraicae proximam et maxime affinem, linguam assyriacam [1]) et aethiopicam, quae multas vocum radices alibi deperditas conservarunt, et linguam arabicam ob eius amplum radicum et vocum thesaurum.

II.

FONTES USUS LOQUENDI GRAECI.

Quia in Libris sacris graece conscriptis quadruplex usus loquendi occurrit, de singulis breviter disserendum est.

1. *Fontes directi*

a) pro usu loquendi *graeco deterioris notae* sunt:

α) *Ipsi Scriptores graeci* utriusque Testamenti, quia quilibet optimus est sui ipsius interpres.

β) *Versiones graecae,* praecipue Septuagintaviralis.

γ) *Philo* et *Flavius Josephus.*

δ) *Ss. Patres et alii scriptores ecclesiastici,* qui scripta sua exaraverunt eo tempore, quo lingua graeca adhuc in usu erat.

ε) *Scriptores ethnici,* qui eadem dialecto communi opera sua exararunt.

b) Pro usu loquendi *graeco hebraistico* consulendi sunt omnes fontes sub a) ab *α* usque ad *δ* enumerati. Praeterea utiles sunt libri apocryphi tum antiqui tum novi Testamenti sive a Judaeis sive a Judaeo-Christianis conscripti, quia eodem modo ideas suas exprimere solent.

c) Pro usu loquendi graeco, ut est N. Testamenti scriptoribus proprius propter ideas christianas:

α) *Ipse Auctor.*

β) *Reliqui Novi Testamenti scriptores,* quia multae locutiones eis communes sunt.

γ) *Patres tam latini quam graeci,* quia de fide christiana ab Apostolis edocti, quomodo expressa esset, sciebant.

δ) Pro usu loquendi *individuali* non potest consuli, nisi ipse auctor eum adhibens, ut manifestum est.

---

[1]) Consulenda sunt praesertim *Frd. Delitzsch:* Assyrische Grammatik, Berolini 1889; et eiusdem: Assyrisches Handwörterbuch, Lips. 1894 ss.

2. *Fontes indirecti* omnibus libris sacris graece exaratis communes sunt:

a) *Antiqui commentatores latini et syriaci,* non graeci, quia hi testes directi sunt.

b) *Versiones e textu graeco* adornatae.

c) *Traditores occasionales,* i. e. scriptores latini et syriaci, qui commentarios in S. Scripturam quidem non composuerunt, at occasione data in suis scriptis dogmaticis, polemicis, homileticis textum graecum explanant.

d) *Grammatici* et *lexicographi.*[1])

3. *Subsidia* etiam ad cognoscendum usum loquendi graecum optime consuli possunt, at hic quoque attentione opus est, ne meras coniecturas tanquam veritates certas accipiamus. Ad investigandas dictiones hebraisticas ad linguam hebraicam eiusque cognatas recursus patebit, ceteras dictiones dialecti graecae, imprimis attica, ionica, dorica illustrare possunt.

§ 27.

Applicatio huius loci exegetici.

Ex iis, quae de usu loquendi diximus, manifestum est, interpretem s. Scripturae linguarum cognitione indigere, praesertim linguae hebraicae et graecae. «Contra ignota signa», ait s. Augustinus, «magnum remedium est linguarum cognitio. Et latinae quidem linguae homines, quos nunc instituendos suscepimus, duabus aliis ad divinarum Scripturarum cognitionem opus habent, hebraica scilicet et graeca, ut ad exemplaria praecedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita varietas» (S. Aug. De Doctr. Chr. 2, 14). «Ergo sacrae Scripturae magistris necesse est atque theologos addecet, eas linguas cognitas habere, quibus libri canonici sunt primitus ab hagiographis exarati, easdemque optimum factu erit si colant alumni Ecclesiae, qui praesertim ad academicos theologiae gradus aspirant. Atque etiam curandum, ut omnibus in Academiis, quod iam in multis receptum laudabiliter est, de ceteris item antiquis linguis, maxime semiticis, deque congruente cum illis eruditione, sint magisteria, eorum in primis usui, qui ad sacras Litteras profitendas designantur» («Prov. Deus»).

---

[1]) *J. Th. Beelen:* Grammatica graecitatis Novi Testamenti. Lovanii 1857. — *Winer,* Grammatik des neutest. Sprachidioms. — *C. L. W. Grimm:* Lexicon graeco-latin. in libros N. T. Lips. 1879 — *V. Loch* (Ratisbonae 1858) adornavit catholicam editionem operis: «Clavis N. Test. philologica» a *G. Wilke* conscripti. — *Herm. Cremer,* Biblisch-theologisches Wörterbuch der neutestamentlichen Gräcität., ed. 7. Gothae 1893.

Sed dicet quispiam: cur ad linguas peregrinas et ad textum originalem et ad versiones antiquas recurrendum, cum Vulgata nostra authentica sit, ut probe scimus ex definitione Concilii Tridentini (Sess. 4.): «Sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, ss. Librorum, quaenam pro authentica sit habenda, innotescat, statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et Vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat.» Hisce decreti verbis enim duplex continetur conclusio: a) Vulgatam ut authenticam esse habendam in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus et b) nemini licere eam quovis praetextu reiicere. Recte igitur asseruit Poncius († 1626), Universitatis Salmanticensis cancellarius, in Vulgata «omnia, quantumvis minima, recte conversa.»

Huic exceptioni respondendum est:

1. Vulgatae authentiam linguarum biblicarum utilitatem, immo necessitatem, nullo modo excludere, cum nihil aliud dicat, quam Vulgatam substantialiter continere, quae in textibus originalibus existebant, praecipue eam continere illa, quae fidem et mores spectant. Jamvero in ipsa Vulgata reperitur usus loquendi hebraicus et graecus, cum eius lingua non sit omnino pura, et ad hos usus loquendi cognoscendos, prout in Vulgata apparent, utile immo necessarium est, linguas biblicas addiscere.[1])

2. Decreto illo Concilium Tridentinum Vulgatam nequaquam ab omni mendo et errore liberam declarare voluit, sed admisit vulnera, i. e. typographorum menda et etiam menda versionis. Hanc fuisse mentem Concilii patet:

a) Ex testimonio eorum, qui ei interfuerunt. Sic Andreas Vega, theologus consiliarius, narrat, Concilium eatenus Vulgatam authenticam haberi voluisse, «ut certum omnibus esset, nullo eam foedatam esse errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus colligi posset,» «neque quidquam amplius statuere voluisse» synodum; nec quemquam «propter hanc Vulgatae editionis approbationem» impediri, «quominus, ubi haesitaverit, ad fontes recurrat et in medium proferat, quidquid habere potuerit, quo iuventur et locupletentur Latini et *Vulgatam editionem ab erroribus repurgent*» (De iustificatione 4, 9).

b) Ecclesia etiam post illud Decretum in Martyrologio chronologiam septuagintaviralem retinuit.

---

[1]) De usu loquendi Vulgatae vide: *Jac. Arn. Hagen:* Sprachliche Erörterungen zur Vulgata, Friburgi Brisg. 1863; *Fr. Kaulen:* Handbuch zur Vulgata. Eine systematische Darstellung ihres lateinischen Sprachcharakters. Moguntii 1870.

Hanc esse Decreti Tridentini mentem, defendit quoque Bellarminus (De Verbo Dei 2): «Mendacium (Calvini) est, decrevisse Tridentinos Patres, minime esse audiendos eos, qui ex ipso fonte purum liquorem proferunt . . . Hoc ideo mendacium voco, quod nihil eiusmodi in decreto Concilii legatur . . . Respondeo quatuor temporibus licere nobis recurrere ad fontes hebraeos et graecos: 1⁰ Quando in nostris codicibus videtur esse error librariorum . . . 2⁰ Quando latini codices variant, ut non possit certo statui, quae sit vera vulgata lectio . . . 3⁰ Quando verba aut sententia in latino est anceps, possumus recurrere ad fontes, si forte ibi non sit ambiguitas. . . . 4⁰ Licet recurrere ad fontes, ad energiam et proprietatem vocabulorum intelligendam.» Propterea etiam Summus Pontifex Leo XIII. (enc. «Prov. Deus») ait: «Neque tamen non sua habenda erit ratio reliquarum versionum, quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codicum primigeniorum. Quamvis enim, ad summam rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatae hebraea et graeca bene eluceat sententia, attamen si quid ambigue, si quid minus accurate inibi elatum sit, «inspectio praecedentis linguae,» suasore Augustino, proficiet.»[1]) Ita loquebantur iam ss. Patres, ita etiam exegetae scholastici, praeprimis s. Thomas,[2]) nunquam rem tam utilem, uti sunt versiones antiquae et linguarum sacrarum cognitio, reiicientes.

---

[1]) Cf. etiam quae *Hier. ab Oleastro* O. Praed., inquisitor Ulyssiponensis et Concilii Tridentini theologus, scripsit in praefatione ad sua Commentaria in Pentateuchum, in quibus non Vulgatae textum, sed Sanct. Pagnini versionem ex hebraeo exposuit: «Est etiam aliud, quod et te (lector) hic admonere volumus, quare, omissa vulgata editione, Sanctis Pagnini Lucensis versionem exponere maluerimus. Cuius rei causam paucis accipe. Scito, nostri instituti esse, non aliquem interpretum (qui an literae mentem in omnibus sint assecuti, nescio), sed contextum ipsum hebraicum, quantum mihi possibile fuerit, explicare. Et quoniam non omnes hebraice sciunt, et haec Sanctis nostri editio ceteris omnibus (quas videre licuit) germanius hebraicum fontem referre videtur, eam prae ceteris interpretandam delegimus, non tam illam, quam in ea hebraicum contextum interpretantes . . . . . Feci etiam hoc, ne quod multis male cessisse video, mihi accideret. Qui dum frequentissime vulgatam editionem in suis commentariis castigare volunt dicentes sic aut aliter in hebraeo haberi, et lectorem remorantur et illi perpetuo fastidio sunt. Qui meo quidem iudicio consultius facerent, quando vulgata non placet, aliquam ex vulgatis, quam exponerent, deligere, ne in corrigenda veteri totam operam absumerent et tempus ad meliora lectori relinquerent . . . . Neque plus divo Hieronymo in sua editione a nobis tribuendum puto, quam sibi velit ipse tribui. Ipse vero utpote vir sanctus, se aliquando hallucinatum ingenue fatetur suamque versionem in aliquot locis emendasse . . . . Quae non in eum finem adducimus, ut virum sanctum traducamus, sed ut sentiamus eum non prophetam sed hominem». Nunc tamen exegeta catholicus, etsi nullatenus negligere debeat versiones antiquas et textus codicum primigeniorum, Vulgatam explicet, «quam Concilium Tridentinum in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habendam decrevit» (Prov. Deus).

[2]) Cf. ex. gr., quae dicit in *Summa theol.* I. q. 10. a. 2. ad 2um, ubi exponit illud Ex. 3,18: «Dominus regnabit in aeternum et ultra»: «Sciendum, quod aeternum accipitur ibi pro saeculo, *sicut habet alia translatio.* Sic igitur dicitur

Fatemur tamen, exegetas catholicos valorem usus loquendi nunquam exaggerasse, quemadmodum a recentioribus quibusdam factum est, clamantibus: «hoc acquisito criterio, omnis ambiguitas cessat.» Et recte ita doctores catholici; etenim 1. non ubique possibile est, usum loquendi cognoscere, cum monumenta litteraturarum antiquarum magna ex parte deperdita sint, et 2. etsi linguae antiquae omnino notae essent, non adesset semper lux sufficiens ad verum cuiuslibet dictionis sensum detegendum, cum multa, ex. gr. veritates christianae Novi Testamenti, ex solo usu loquendi Hebraeorum aut Graecorum non innotescant.

Ut autem hoc locò exegetico, quem usum loquendi appellavimus, interpres bene utatur, sequentes *cautelas* observare debet:

1. In uno et eodem contextu eadem dictio eodem modo est explicanda, i. e. usus loquendi idem adesse solet, nisi contrarium rationibus sufficientibus probetur.

2. Non licet ex opinione praeconcepta recedere ab usu loquendi ordinario.

3. Usus loquendi e fontibus directis cognitus perfectior est quam ille, qui e solis fontibus indirectis acquiritur.

4. Deficientibus fontibus directis et indirectis, ad subsidia recurrere licet, at ea, quae eorum ope eruuntur, non ut veritates certissimae, sed ut probabilitates tantum producantur.

---

quod regnabit ultra aeternum, quia durat ultra quodcumque saeculum, i. e. ultra quamcumque durationem datam. Nihil est enim aliud saeculum, quam periodus cuiuslibet rei.» Cf. etiam I, q. 66. a. 1. al.

CAPUT VII.

DE CRITERIIS INTERNIS.

Detectis iam vocum significationibus, interpres investigare debet, quamnam ex eis auctor intenderit, quod ope certorum criteriorum fit. Haec non semper eodem ordine enumerabantur. Card. *Hugo a S. Caro* sex enumerat[1]: «Ad maiorem igitur evidentiam breviter inquiramus illa sex, quae in exordiis cuiuslibet libri solebant antiquitus praelibari, quae maxime totius operis seriem pandunt et lectorem maxime dirigunt in legendo, scilicet: quae materia, quis auctor, quae intentio, quae utilitas, quis modus agendi, quis titulus?» Alii septem enumerant iuxta hosce versiculos memoriales:

«Quis, scopus, impellens, series, tempusque locusque,
Et modus: haec septem Scripturae attendito lector.»

Nos criteria illa in interna (logica) et externa (historica) dividentes, primis contextum, argumentum, locos parallelos, adnumeramus, alteris vero libri auctorem, occasionem, scopum, lectores ceteraque adiuncta historica.

§ 28.

Contextus.

1. Contextus *definitur:* Partium orationis cum antecedentibus et consequentibus nexus earumque mutua ad invicem relatio.

2. Quia autem ille partium nexus diversi generis esse potest, sermo est etiam de variis contextus speciebus:

a) *Contextus grammaticus* is est, quem regularis vocum eiusdem dicti connexio indicat, inquantum scilicet vocabula suis formis declarant, qua ratione coniungenda sint, et particulae nexum indicant, quo propositiones inter se cohaereant. Occurrunt quidem etiam in s. Scriptura anomaliae quaedam, quae enallage generis, numeri, casus, temporis

---

[1]) *Hugo a S. Caro:* Prologus in librum Josue.

appellantur, occurrunt etiam ellipses et parentheses[1]), at hisce interpres non debet impediri, quominus ubique ante omnia contextum grammaticum inquirat.

b) *Contextus logicus* adest, si partes orationis nectuntur iuxta leges logicae naturalis, et subdividitur in *arctissimum, arctiorem, latiorem:*

α) *arctissimus* est, qui partes unius propositionis logice iungit; quapropter cum contextu grammatico coincidit.

β) *Arctior* est, qui unam propositionem aut periodum cum altera logice unit; hic quidem interdum etiam cum contextu grammatico coincidit, at non semper, quia scriptores hebraei ob paupertatem particularum coniunctivarum linguae suae iisdem saepe numero particulis ad diversum nexum logicum exprimendum utuntur, scriptores autem graeci eos hac in re saepe imitantur, quare sola grammatica ad nexum arctiorem indicandum non sufficit.

γ) *Latior* est, qui maiores libri partes et sectiones logice unit; hic in libro supponendus est, quia quilibet libri auctor logicae regulas observare solet non tantum in singulis propositionibus tum in se spectatis tum ut sibi immediate succedunt, sed etiam in omnibus maioribus sui operis partibus.

c) *Contextus psychologicus* est, qui in idearum associatione fundatur. In oratione vivida enim non semper ordo stricte logicus adest, sed ob affectus vehementiam interdum etiam res magis distantes coniungimus, quae tamen ratione temporis, loci aut aliorum adiunctorum in mente nostra ita sunt sociatae, ut una excitata altera quoque simul menti appareat. In s. Scriptura hic contextus praecipue in partibus lyricis, imprimis in Psalmis et in prophetarum admonitionibus reperitur.

d) *Contextus historicus* adest, si orationis partes praecedentes et subsequentes iuxta factorum successionem, i. e. chronologice ordinantur. Contextus hic subdividitur in *determinatum* et *indeterminatum:*

α) contextus historicus *determinatus* adest, si temporis spatium, quod inter singula facta intercessit, aperte indicatur;

β) contextus historicus *indeterminatus* adest, cum illud temporis spatium non indicatur.

e) *Contextus dogmaticus* adesse dicitur, si scriptor in partibus orationis suae facta refert ad aliquem scopum, ut ad veritatem aliquam demonstrandam aut rem aliquam illustrandam. Contextus hic est

---

[1]) Sic masculinum מֵת Gen. 23, 4. 6 Saram mortuam significat; Matth. 28, 19: *Μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίσαντες αὐτούς*; Luc. 1, 55: *ἐλάλησεν πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν, τῷ Ἀβραὰμ καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ*; ellipses frequenter occurrunt in iuramentis Hebraeorum et in Epistolis s. Pauli.

α) *simpliciter dogmaticus,* si in illis factis referendis temporis ratio non observatur;

β) *historico-dogmaticus*, si facta etiam chronologice referuntur.

f) *Contextus opticus* solummodo in partibus propheticis invenitur et quidem tunc adest, quando prophetae res tempore et loco distantes aeque ac res proximas et immediate imminentes depingunt. Eiusmodi textus nonnulli exegetae non inconvenienter imaginibus comparant, in quibus, contra scenographiae regulas, res distantes aeque magnae et lucidae depinguntur ac res praesentes.

3. *Usus.* Contextus notionem interpreti perutilem esse, ex dictis apertum est.

a) Contextus *logicus* in specie:

α) indicat, quamnam significationem vocabuli polysemi auctor intenderit; sic vocem λόγος Joan. 1, 1 non abstracte de sapientia divina sed concrete, de Jesu Christo, secunda persona divina esse intelligendam docet contextus, quia in versibus sequentibus idem λόγος dicitur tanquam lux hominum in terram venisse, naturam humanam assumpsisse, a suis i. e. Judaeis receptum non fuisse, etc.

β) Contextus logicus saepe docet, utrum verba proprie an metaphorice sint exponenda et quid per metaphoram significetur. Sic illud Act. 2, 4: «Et coeperunt loqui variis linguis» revera de miraculosa doni linguarum peregrinarum collatione et non de fervore et maxima tantum eloquentia intelligendum esse, ex contextu clare elucet. Apostolis enim 1, 4 ss. iam praecipitur, ne Hierosolymis discederent, donec baptizarentur Spiritu sancto; 2, 3 describitur phaenomenon insolitum linguarum tamquam ignis supra singulos apparentium; ib. v. 6 dicitur multitudinem omnino confusam esse, quia unusquisque lingua sua Apostolos loquentes audiebat; quae nationes v. 9—11 enumerantur; demum s. Petri responsio v. 14 ss. ostendit, Christi discipulos hoc modo ex virtute divina linguas peregrinas locutos esse.

γ) Sensum verborum ambiguum determinat. Sic ex. gr. ostendit, illum «servum Domini» (עֶבֶד יְהוָה), de quo Isaiae 52, 13—53, 12 legitur, neque totum populum israeliticum esse neque eius partem meliorem, neque aliquam aliam personam, quam ipsum Messiam. Servus enim Domini despectus, doloribus oneratus apparet, quia nostras poenas in se suscepit (53, 4—6); elegerunt ei quidem sepulcrum apud impios, sed post mortem suam positus est in sepulcrum divitis, ut iam inde eius innocentia innotescat (53, 7—9). Quia vitam suam pro peccatis obtulit, posteritatem sempiternam habebit et opus Domini gloriose perficiet (53, 10—12). Omnia haec ad amussim cum iis quadrant, quae Evangelia de Christo Domino referunt.

δ) Docet interdum, num dictio latius an angustius sit accipienda. Sic verba Act. 2, 5: «ex omni natione, quae sub coelo est» non esse accipienda iuxta omnem suam vim docet v. 9, ubi gentes, quae miraculo linguarum praesentes erant, enumerantur.

ε) Indicat, quaenam e pluribus locutionis tropicae similitudinibus in certo loco intenta sit. Sic ex. gr. propter contextum logicum «lac» in 1. Cor. 3, 2. Hebr. 5, 12 imago est primorum elementorum doctrinae christianae; 1. Petr. 2, 2 autem imago est puritatis doctrinae christianae.

Huc spectant etiam dictiones proverbiales, quae saepe variis rebus applicantur et juxta diversum contextum diversa etiam significant. Sic ex. gr. illud: «Non est discipulus super magistrum et servus super Dominum», significare potest aut: «Discipulus non est magistro suo praestantior doctrina», aut «discipuli sors non est melior sorte magistri sui» aut «quidquid magistrum non dedecet, neque discipulum eius dedecet.» Effatum illud in omnibus hisce significationibus in libris Novi Testamenti occurrit. Prima intenditur Luc. 6, 40, quia in praecedentibus de caeco caecorum duce est sermo: altera Matth. 10, 24, Joan. 15,20, quia in contextu sors discipulorum describitur, tertia Joan. 13, 16., quia in praecedentibus et subsequentibus de exemplo a Christo Domino dato locutio est.

ζ) Indicat ellipses a legente supplendas. Sic in verbis Christi Domini Matth. 6, 24; «Nemo potest duobus dominis servire», subintelligendum est: «contraria praecipientibus»; in sequentibus enim loquitur de Deo et de inordinata divitiarum cupiditate.

b) Contextus *psychologicus:*

α) docet, quaenam sit ratio dicti et ipsius dicendi modi. Quandoque enim dictum inopportunum videtur et extra chorum canens, at contextu psychologico eius convenientia elucet. Sic ex. gr. Joan. 4, 34 Christus Dominus dicit: «Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me», ubi metaphora «meus cibus» in se dura esse videtur, at optime ex iis, quae praecesserunt circumstantiis explicatur. Apostoli enim Christo Domino defatigato ad puteum cum muliere Samaritana loquenti cibum obtulerunt eumque comedere monuernut; Christus Dominus autem cibos recusans, per idearum associationem vocem «cibus» in verbis suis adhibet. Hoc modo etiam optime explicatur, cur Christus Dominus (Joan. 7, 37) ultimo die festi Tabernaculorum clamabat dicens: «Si quis sitit, veniat ad me et bibat». Illo enim festo sacerdos aquam in fonte Siloe haustam in atrio templi effundebat, aliis sacerdotibus cantantibus verba messiana Isaiae (12, 3): «Laeti aquam haurietis e fontibus salutis»; hisce caerimoniis Jesus motus est, ut illis et non aliis verbis uteretur ad suam aquam spiritualem i. e. gratiam commendandam.

β) Ostendit, cur Novi Testamenti scriptores tam saepe verba Antiqui Testamenti allegent. Quia enim inter praedictiones antiqui Foederis et facta verbaque Christi magna est similitudo, Apostoli et scriptores, qui illa noverunt et haec viderunt aut audierunt, utraque coniungebant.

γ) Rationem pandit, cur contextus logicus interdum interrumpatur. Sic per idearum associationem explicatur, cur s. Paulus 1. Cor. 7 de matrimonio et virginitate disserens, postquam v. 12—16 dixerat, matrimonium dissolvi posse, si pars infidelis cum parte ad fidem conversa pacifice cohabitare nolit, deinde a v. 17—24 de aliis statibus disserat et nonnisi v. 25 ad thema suum de matrimonio et virginitate revertatur.

4. *Fontes* contextus. Hic cognoscitur ex accurata libri aut partis interpretandae lectione et ex eius analysi, in qua lector attendat ad pericoparum initia et fines, ad numerum partium distinctarum et ad nexum singularum partium. Sciat autem, hodiernam s. Scripturae in capita et versus divisionem, cum non sit ubique accurata, ad contextum cognoscendum non sufficere, et simul attendat ad hoc, quod in quibusdam partibus, praesertim librorum sapientialium, nexus non existat.

5. *Regulae* ad rectum huius loci exegetici usum sequentes sunt:

α) Ad contextum cognoscendum interdum non sufficit illa tantum legere, quae immediate praecedunt aut sequuntur, sed etiam partes magis distantes expendendae sunt, si aliquid obscurum remaneat. Contextus enim non solum strictissimus et strictior est, sed etiam latior.

β) Non licet per aliquod artificium criticum aut hermeneuticum contextum ibi extorquere, ubi nullus existit. Artificium criticum dicitur textus correctio contra codicum fidem ; artificium hermeneuticum adest, cum vocabulis loco significationis obviae, ab usu loquendi probatae, aliae, ideis praeconceptis faventes, affinguntur. Arianos contra hanc regulam peccasse, s. Augustinus testatur (De Doctr. Chr. 3, 2) asserens, eos sensum primorum versuum Evangelii s. Joannis mutasse per interpositionem puncti post vocem «erat», ita ut legerent: «Et Deus erat. Verbum hoc (i. e. ista res) erat in principio apud Deum.»

γ) Ne quaeratur alius nexus vel alius connexionis gradus, quam is, qui in textu revera existit. Contra hanc regulam praecipue ii peccant, qui contextum stricte logicum quaerunt, ubi contextus psychologicus solummodo existit.

δ) Non licet ellipses quaerere, ubi nullae existunt et planis auctoris verbis contradicunt.

ε) Eadem vox eodem in contextu sub eadem notione et cum eodem ambitu accipiatur, nisi adsit aut ἀντάκλασις i. e. figura, qua vox eadem in eodem contextu diversam significationem habet, ut Mt. 8,

22: «Dimitte mortuos sepelire mortuos suos», [1]) aut suavis transitus fiat ad aliam rem affinem, prout praesertim in libris sapientialibus contingit.

§ 29.

Argumentum orationis.

1. *Notio.* Argumentum orationis dicitur illa res, quam auctor in libro suo aut in eius parte pertractat.

2. *Usus,* eius multiplex est:

a) Definit, quaenam ex pluribus significationibus, quae voci convenire possunt, hic et nunc intenta sit. Quemadmodum enim cognito subiecto propositionis facile detegitur, quo sensu praedicatum sumendum sit, ita cognito argumento, quod se ad librum aut libri partem veluti subiectum habet, facile eruitur, in quonam sensu certa vocabula accipienda sint, ita ut tanquam regula generalis statui possit, omnem significationem, quae auctoris argumento repugnet, reiiciendam esse. Sic ex argumento epistolae ad Romanos et ad Galatas elucet, quid s. Paulus nomine «legis» et «operum legis» intelligat.

b) Significationes verborum aut restringit aut extendit. Ita argumentum docet, restringendas esse significationes in propositionibus: «Eritis odio *omnibus hominibus* propter nomem meum» (Matth. 10, 22); «Testimonium eius *nemo* accipit» (Joan. 3, 32). Ita etiam argumentum docet, nullo modo ad errorum approbationem esse extendendum, quod dicit Apostolus (1 Cor. 10, 20 ss.): «Et factus sum Judaeis tanquam Judaeus, ut Judaeos lucrarer ... iis, qui sine lege erant, tanquam sine lege essem ... factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.» Etenim non de erroribus Apostolus ibi loquitur, sed de iis, quae fieri aut omitti poterant, ut erant leges caerimoniales, et de incommodis perferendis.

c) Definit, quaenam dicta sint pars essentialis vel saltem integrans, et quaenam per accidens tantum orationi adiungantur; ut in parabolis Christi Domini, ubi plura ornatus causa tantum addita sunt et abesse possent, quin mens Christi ideo obscura redderetur.

3. *Cautela.* Caveat interpres, ne naturali modulo omnia in s. Scriptura metiatur sibique persuadeat, se argumentum librorum sacrorum semper clare perspectum habere. Multa enim ibi referuntur, quae naturale intellectus humani lumen transcendunt, quapropter in huiusmodi locis magna attentione opus est, ne ex argumento parum noto falsas conclu-

---

[1]) Cf. etiam Job 15, 31: אַל־יַאֲמֵן בַּשָּׁו נִתְעָה כִּי־שָׁוְא תִּהְיֶה תְמוּרָתוֹ «ne fidat in vano, decipit se! quia vanum erit commutatio eius», ubi vox «vanum» duplicem significationem habet: prima vice apparentem prosperitatem, secunda vice autem certam afflictionem significat.

siones deducat. Eadem e causa peccant quidam recentiores, qui semper ad profanos recurrunt scriptores, ut dictionis alicuius sensum aperiant; cum enim argumentum scriptorum profanorum diversum sit, etiam vocabula ab eis adhibita saepe numero significationes habent differentes ab eis, quae s. Scripturae vocibus subsunt.

4. *Fons,* e quo argumenti notionem haurimus, est, ut per se patet, accurata libri aut pericopae lectio. Interdum ipse auctor initio aut in decursu sui sermonis argumentum indicat, ut 1 Cor. 7, 1 s. Paulus argumentum totius capitis edicit verbis: «De quibus autem scripsistis mihi: bonum est homini mulierem non tangere» etc.

§ 30.

Loci paralleli.

1. *Notio et divisio.* Ubi contextus aut orationis argumentum sensum dicti non manifestant, saepe id perficiunt loci paralleli seu illi textus eiusdem vel variorum scriptorum, qui eandem vocem aut eandem rem referunt.

Loci paralleli dividuntur:

a) ratione *obiecti* in *verbales* et *reales;*

α) loci paralleli *verbales* sunt, qui easdem expressiones (vocabula aut phrases) continent, etsi hae diversas habeant significationes;

β) loci paralleli *reales* sunt, in quibus idem argumentum occurrit, etsi interdum diverse expressum.

Loci paralleli, qui idem argumentum eodem modo exprimunt, sunt simul *verbales et reales;*

b) ratione *veritatis* in *veros* et *falsos;*

c) ratione *fontis* in locos parallelos *eiusdem* auctoris aut *diversorum;*

d) ratione *ambitus* in *adaequatos* et *inadaequatos*;

α) loci paralleli *adaequati* ii dicuntur, qui idem sub eadem extensione referunt;

β) loci paralleli *inadaequati* adsunt, si aut eadem vox in altero occurrit, at cum significatione arctiore, aut idem argumentum in pluribus locis tractatur, sed minoribus cum adiunctis in uno quam in altero.

2. *Usus.* Loci paralleli sive sunt eiusdem auctoris sive diversorum, valde utiles sunt interpreti ad sensum obscurum eruendum aut etiam ad sensum iam erutum confirmandum et illustrandum. «Facilius, inquit Origenes (in Num. hom. 24, 3), in s. Scriptura quod quaeritur

agnoscitur, si ex pluribus locis, quae de eadem re scripta sunt, proferantur.» «Ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, et quaedam certarum sententiarum testimonia dubitationem de incertis auferant» (S. Aug. De Doctr. Chr. 2, 9). [1]) Horum ratio in promptu est: aut enim loci paralleli eiusdem sunt auctoris aut diversorum. Si eiusdem sunt auctoris, tunc ad se invicem illustrandos conferri possunt, quia nemo gravis et sanae mentis sibi contradicere praesumendus est, nisi se retractare velit. Si autem loci paralleli diversorum auctorum sunt, bene conferri possunt ut testes usus loquendi, contextus et interdum etiam adiunctorum historicorum, cum auctores in multis similem loquendi modum adhibeant, quare loci clariores comparari possunt ad illustranda verba illius auctoris, qui magis obscure et minus accurate locutus est. Quae omnia multo magis de Scriptoribus sacris valent, qui, a Spiritu sancto inspirati, neque sibi ipsis neque reliquis contradicere possunt.

In specie loci paralleli ad sequentia utiles sunt:

a) Sensum vocabulorum obscurorum et ambiguorum aperiunt, aut quia in uno loco synonymum clarius occurrit, aut quia tropice dicta alibi proprie enunciantur, aut quia epitheta vel opposita clariora sunt, aut demum quia contextus in uno loco clarius patet quam in altero. Sic vox כֹּהֲנִים, qua 2. Sam. 8, 18 filii Davidis designantur, et quae communiter sacerdotes significat, in textu allato exponitur ex loco parallelo 1. Chr. 18,17, ubi cum רִאשֹׁנִים permutatur, quae vox primos ad manum regis indicat.

b) Indicant, num dictio aliqua proprie an improprie sit intelligenda. Hoc modo etiam probatur, verba «variis linguis loqui», quae Act. 2, 4 occurrunt, de vero dono linguarum esse intelligenda; etenim Marc. 16,17 Christus Dominus in se credituris promittit: «Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis etc.»; Act. 10, 44—46 narratur, etiam Cornelium et socios eius per Spiritum sanctum linguis peregrinis locutos esse, ex quo s. Petrus (ib. 11, 15) asserit, Spiritum sanctum cecidisse super eos, ut super Apostolos in die Pentecostes.

c) Indicant num dictionis significatio sit amplianda an restringenda. Ita in Novo Testamento «lex» ad Moysis legem restringitur, *σάρξ καὶ αἷμα* (Gal. 1,16) de hominibus per oppositionem ad Deum dicitur.

---

[1]) Cf. etiam De Doctr. Chr. 3, 26; «Obscura ex locis apertioribus explicanda sunt» et S. Bonaventura (in Hexaem. serm. 19.): «Tota Scriptura est quasi una cithara. Et sicuti chorda per se non facit harmoniam sed cum aliis, similiter unus locus Scripturae dependet ab alio, immo unum locum respiciunt mille loci.»

d) Inserviunt ad rem aliquam, doctrinam vel facta, plene cognoscendam. Sic historiam populi israelitici e solis libris Regum plene cognoscere non possumus et de Messia in Antiquo Testamento praedicto omnino inadaequatam haberemus ideam, si unum tantum ex prophetis legeremus aliosque textus messianicos omitteremus. Auctores enim sacri non solent doctrinam suam in uno loco plene et systematice proponere, verum ut doctores populares materiam suam non exhauriunt, sed partem eius lectoribus revelant, prout orationis scopus et occasio id exposcit.

3. *Fontes,* e quibus loci paralleli hauriri possunt, sunt:

a) *Concordantiae biblicae,* et quidem locos parallelos verbales concordantiae verbales, locos parallelos reales concordantiae reales[1]). continent.

b) *Lexica biblica* tum verbalia tum realia.

c) *Opera dogmatica* et *moralia,* in quibus doctrina proposita etiam ex s. Scriptura probatur.

d) *Commentarii* in s. Scripturam.

e) *Propria lectio* s. Scripturae.

4. *Cautelae* in usu locorum parallelorum ab interprete observandae:

a) Ne habeantur ut loci paralleli, qui tales non sunt; ideo bene distinguendi sunt a locis similibus, ubi quidem adest dictorum quaedam congruentia, at reipsa essentialis differentia.

b) Ne alicui loco parallelo plus tribuatur, quam quod ei revera inest. Contra hanc regulam peccant, qui locis parallelis semper idem subesse credunt, non attendentes ad hoc, quod in aliquo ex eis interdum quiddam addatur. «In omnibus Scripturis sanctis,» inquit s. Hieronymus (in Ezech. 33, 1), «observare debemus, ubi videtur aliqua similitudo esse essentiae, non in omnibus eadem dici, sed vel subtrahi pleraque vel addi et singulorum inter se verborum discrepantium habere rationem.»

c) Ne locus clarior obscuriore explicetur. Regula haec sole clarior est, at interdum ab iis negligitur, qui ex opinione praeconcepta sensum loci clari respuunt. Hinc etiam sponte sua fluit, textus, qui obiter tantum rem tangunt, ex iis esse intelligendos, qui eandem rem ex professo pertractant.

d) Utiliores sunt loci paralleli ex eodem auctore hausti, quam ii qui e diversorum scriptis desumuntur; nam quilibet optimus est sui ipsius interpres. Regula haec tamen potius locos parallelos verbales spectat quam reales. Inspiratio enim non impedit, quominus scriptor

---

[1]) Cf. ex. gr. *Sev. Lueg:* Biblische Realconcordanz, ed. 3. Ratisb. 1890.

sacer suum modum loquendi retineat, indeque seipsum optime explicat, quemadmodum Homerus ex Homero et s. Paulus ex s. Paulo aptius illustratur. Quod autem ad locos parallelos reales attinet, nunquam oblivisci licet, auctorem primarium totius s. Scripturae ipsum Deum esse. Hinc, ut pulchre ait s. Ioannes Chrysostomus (in Matth. hom. 4,5): «Scriptura sancta haeret sibi tota et uno spiritu copulata est, atque ut circulus circulo innectitur, et si quid desumpseris, aliud late pendet.»

§ 31.

Allegationes biblicae.

Ad parallelismum locorum referendae sunt etiam allegationes biblicae et parallelismus membrorum.

1. *Notio allegationis.* Allegatio locum habet, cum verba unius Scriptoris sacri ab alio Hagiographo referuntur seu citantur. Allegantur autem praecipue textus Antiqui Testamenti a Scriptoribus Novi Foederis.

2. Allegationes varie dividuntur:

a) Ratione *formae* distinguuntur: *allegatio* (stricte sumpta), *accommodatio, allusio*.

α) *Allegatio* (in sensu strictiore) adest, cum verba (non aliqua circumstantia aut factum) unius auctoris ab alio referuntur si non omnino eodem modo, quo dicta fuerunt, at saltem absque mutatione essentiali.

β) *Accommodatio* habet locum, si verba a referente ea alium sensum obtinent, quam quem habent in loco, e quo deprompta sunt.[1])

γ) *Allusio* obtinet, si unus auctor adhibens terminum ab alio usurpatum ad eius significationem quidem respicit, at simul ei novam adsignificationem addit.

b) Ratione *scopi* allegatio fieri potest:

α) ad aliquam veritatem probandam; praesertim hoc in casu *applicatio* appellatur;

β) ad aliquid illustrandum;

γ) ad dictum aliquod exornandum.

3. *Formulae* allegandi variae sunt. Raro ipse liber, e quo textus desumitur, accurate designatur, sed solum classis, in qua liber ille ponebatur; saepissime autem allegatum ut e s. Scriptura tantum

---

[1]) Cf. dicta paragr. 20.

desumptum indicatur phrasibus: «Scriptum est enim», «Scriptura dicit», «Hoc factum est, ut adimpleretur, quod dictum est», aut «Deus» vel «Spiritus S. illa dixisse» asseritur

4. Cognitio textus allegati interpretem saepe iuvat ad sensum Librorum sacrorum eruendum; at caveat, ne allegationis species confundens, textui allegato plus tribuat, quam continet. Meminerit etiam illorum s. Hieronymi: «Crebro dixisse me novi, Apostolos et Evangelistas ubicunque de Veteri Instrumento ponunt testimonium, si inter hebraicum et Septuaginta nulla diversitas sit, vel suis vel Septuaginta interpretum verbis uti solitos. Sin autem aliter in Veteri Editione sensus est, hebraicum magis quam septuaginta interpretes sequi» (prooem. l. XV. comm. in Isaiam) et: «In quibus cunctis illa semper observanda est regula: Evangelistas et Apostolos absque damno sensuum interpretatos in graecum ex Hebraeo, ut sibi visum fuerit» (Lib. IX ad Is. 29, 16).

§ 32.
Parallelismus membrorum.

Quemadmodum poësi antiquorum Aegyptiorum[1]) et Assyriorum,[2]) ita et hebraicae proprius est quidam rhytmus idearum et sententiarum, qui parallelismus poeticus vel parallelismus membrorum appellatur, et in eo consistit, quod integra sententia duobus, tribus vel etiam quatuor stichis, in quibus res rebus et saepe etiam verba verbis correspondent, explicatur.[3])

2. Species parallelismi poetici tres inveniuntur: *synonymus, antitheticus, syntheticus.*

a) Parallelismus *synonymus* adest, si eadem idea bis aut ter exprimitur vocabulis idem aut fere idem significantibus, ut:

«Adda et Sella, audite vocem meam,
uxores Lamech, auscultate sermonem meum» (Gen. 4, 23).

«Prohibe linguam tuam a malo,
et labia tua ne loquantur dolum» (Ps. 33,14).

---

[1]) Cf. *H. Brugsch,* Hieroglyphische Grammatik, Lips. 1872. pag. 97.

[2]) Ex. gr. babylonicum epos creationis (nova ed. *Friedr. Delitzsch:* Das babyl. Weltschöpfungsepos. Lips. 1896.)

[3]) De parallelismo hoc loquitur iam Abenezra, eum «duplicatum» (כָּפוּל) appellans, et Qimchi eum definivit: «Duplicatio sententiae verbis variatis». Plene de eo disseruit Lowth in opere suo: «Praelectiones de sacra poesi Hebraeorum» (in praelect. 3. et 19.) eumque definivit: «Poetica sententiarum compositio maximam partem constat in aequalitate ac similitudine quadam sive parallelismo membrorum cuiusque periodi, ita ut in duobus plerumque membris res rebus, verbis verba quasi demensa et paria respondeant.»

Quandoque illa identitas sententiae magis occultatur, ex quo parallelismus synonymus vel pulchrior evadit, ut:

«Sitivit anima mea ad Deum, fontem vivum;
quando veniam et apparebo ante faciem Dei?» (Ps. 41, 3).

Interdum alteri sticho vocabulum additur, quo sensus completur aut augetur, ut:

1. «Domine, Deus ultionis,
Deus ultionis, appare!

2. Exaltare, o iudex terrae,
repende actionem superbis!

3. Quousque impii, o Domine,
quousque impii exultabunt!» (Ps. 93, 1—3).

Interdum versus bini et bini paralleli sunt, ut:

«Dominus lux mea et salus mea,
Quem timebo?

Dominus protector vitae meae,
A quo trepidabo?

Si consistant adversum me castra,
Non timebit cor meum;

Si exsurgat adversum me proelium,
In hoc sperabo!» (Ps. 26, 1. 3.).

Quandoque unus versus alterum probat, exponit, illustrat, ut:

«Fortitudo et laus mea Dominus,
Et factus est mihi in salutem.

Dominus quasi vir pugnator,
«Omnipotens» nomen eius» (Ex. 15, 2. 3).

«Aufer rubiginem de argento,
Et egredietur vas purissimum;
Aufer impietatem de vultu regis,
Et firmabitur iustitia thronus eius» (Prov. 25, 4. 5).

«Supra mortuum plora,
Defecit enim lux eius;
Et supra fatuum plora,
Defecit enim sensus» (Eccli 22, 10).

b) Parallelismus *antitheticus* adest, si unus stichus contrarium eius dicit, quod in correspondente sticho enunciatur, ut:

«Ipsi lapsi sunt et ceciderunt,
Nos autem surreximus et erecti stetimus» (Ps. 19, 9).

«Statera dolosa abominatio est apud Dominum,
Et pondus aequum voluntas eius. —
Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia,
Ubi autem humilitas, ibi et sapientia. —
Simplicitas iustorum dirigit eos,
Et perversitas impiorum devastat illos. —
Non proderunt divitiae in die ultionis;
Iustitia autem liberabit a morte. —
Iustitia simplicis dirigit viam eius,
Et in impietate sua corruit impius. —
Iustitia rectorum liberabit eos,
Et in insidiis suis capientur iniqui. —» (Prov. 11, 1 ss).

«Responsio mollis frangit iram;
Sermo durus suscitat furorem.» (Prov. 15,1).

c) Parallelismus syntheticus locum habet, ubi membra nec synonyma nec antithetica sunt, tamen eadem constructionis forma adest, licet sermo sit de diversis rebus. Cum hic parallelismus ab oratione soluta parum differat, imprimis praesentiâ parallelismi synonymi et synthetici cognoscitur. Exempla:

«Voce mea ad Dominum clamavi,
Et exaudivit me de monte sancto suo» (Ps. 3, 5).

«Dixit Dominus Domino meo:
Sede a dextris meis» (Ps. 109, 1).

Saepe omnes tres parallelismi species variis modis alternant, ut:

«Oculum, qui subsannat patrem
et spernit obedientiam matris,
Effodient corvi de torrente,
Et comedent pulli aquilarum» (Prov. 30, 17).

«Excaeca cor populi huius,
Et aures eius aggrava,
Et oculos eius claude:
Ne forte videat oculis suis,
Et auribus suis audiat,
Et corde suo intelligat,
Et convertatur et sanem eum» (Is. 6, 10).

3. *Usus.* Parallelismus poeticus, praesertim synonymus et antitheticus, interpreti est egregium subsidium; etenim

a) Indicat interdum, quinam textus sit praeferendus, ut in Ps. 21,17 docet legendum esse non כָּאֲרִי (ad instar leonis) sed cum versionibus antiquis (LXX, Vulg. Aq. Hier. Syr.) retinendum esse כָּארוּ (foderunt), ita ut sensus sit:

«Foderunt manus meas et pedes meos,
Dinumeraverunt omnia ossa mea.»

b) Uno membro intellecto, membrum correspondens illustratur, ut in Ps. 75, 3:

«Et factus est in pace locus eius,
Et habitatio eius in Sion»

vox «in pace» ob parallelam «in Sion» intelligenda est de civitate sancta.

4. *Cautelae* ab interprete hac in re observandae:

a) Interpres semper inquirat, quaenam parallelismi membrorum species in textu exponendo locum habeat.

b) Ne confundat synonymiam cum tautologia, indeque ne credat, in parallelismo synonymo membra sibi ad amussim semper correspondere.

c) Membrum obscurum ex clariore explicetur, non viceversa.

CAPUT VIII.

DE CRITERIIS EXTERNIS.

§ 33.

Orationis auctor.

1. Interpretis maxime interest nosse, quaenam sit persona loquens, cum inde non solum dictorum auctoritas pendeat, sed etiam eorum notio et notionum limites. Inspiratio enim non impedit, quominus auctor scribens loquatur modo humano, et quidem modo illo, qui eius characteri, eius animo respondeat et qui a lectoribus vel auditoribus intelligatur.

2. *Usus.* Ea, quae personam loquentis spectant, ad duo revocari possunt, sc. ad eius characterem et animum seu affectum.

a) Characterem loquentis quod spectat, tamquam lex statui potest, omnem sensum, qui characteri sive intellectuali sive morali repugnat, esse reiiciendum. Hinc si novimus, aliquem auctorem semper gravem fuisse, nullo modo sensum ludicrum in eius verbis supponere possumus, etsi eius verba interdum in se sumpta talis sensus sint capacia. Similiter si de humanitate auctoris constat, non licet verbis eius sensum inhumanum supponere. Propterea verba Christi (Joan. 2, 4): «Quid mihi et tibi est mulier?» nullo modo sensu inhumano sunt explicanda, cum Christus Dominus, erga omnes semper humanus, praecipue matrem suam continuo, ab adolescentia usque ad extremum spiritum, maximo amore filiali prosecutus sit.

b) Affectum loquentis quod spectat, scire oportet, num auctor affectu abreptus loquatur an animo sedato. Si enim affectu abreptus loquitur

α) potestas vocabulorum interdum augenda est, cum alio modo sumpta sensum nimis frigidum redderent;

β) dictionum hyperbolicarum sensus mitigandus est. Hyperbola adest, quando loquens verbis utitur, quae in usu communi plus valent, quam ipse vere intendit. Talium dictionum ergo sensus non est premendus

sed potius restringendus, et dandum est aliquid etiam affectui. Hoc modo restringendae sunt quaedam imprecationes in Psalmis, in libro Job, apud Prophetas occurrentes.

γ) Affectus loquentis indicat etiam, ubi sit aposiopesis seu figura reticentiae, qua sententia vel idea faciliter supplenda omittitur, ut Luc. 22, 42: *πάτερ, εἰ βούλει, παρένεγκε τοῦτο τὸ ποτήριον ἀπ' ἐμοῦ πλὴν μὴ τὸ θέλημά μου ἀλλὰ τὸ σὸν γενέσθω.*

δ) Constructionis praegnantis rationem pandit, ut Ps. 117, 5: «Exaudivit me in latitudine Dominus» pro: exaudivit me in spatium amplum educens me.

3) *Fontes,* e quibus orationis auctor dignoscatur, non semper adsunt. Generatim ipse libri auctor loqui censendus est, nisi aliud elucescat,

a) ex ipsius auctoris testimonio,

b) ex certis aliorum auctorum relationibus,

c) ex orationis indole.

Persona loquens praecipue in libris poeticis et propheticis saepe variatur, quin lector de hoc moneatur, ut Js. 58, 3: «Quare ieiunavimus, et non aspexisti? Humiliavimus animas nostras et nescisti? Ecce in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis.» Ubi iam certum est, aliam personam loqui, interpres etiam finem sermonis eius quaerat.

§ 34.

Orationis occasio.

1. *Notio* et *divisio.* Orationis occasio est quaelibet circumstantia, quae auctorem movet ad aliquid dicendum vel scribendum. Sicut enim in genere ad actionem aliquam saepissime circumstantia aliqua movemur, ita et orator ad dicendum et scriptor ad scribendum.

Occasio dividitur in:

a) *Internam* et *externam;* interna dicitur, si circumstantia illa, quae auctorem ad dicendum vel scribendum movit, in ipso auctoris animo quaerenda est; externa dicitur, si extra auctorem in circumstantiis loci, temporis, personarum etc. quaerenda est.

b) *Primariam* et *secundariam,* secundum quod plus vel minus auctorem movent.

c) *Universalem* et *particularem,* quatenus ad totam orationem vel solum partem eius moverunt.

2. *Usus* huius loci exegetici multiplex est:

a) Indicat, quamnam vocis polysemae significationem auctor certo in loco intendat. Sic vox «benedicere» Job. 1, 11 in phrasi: «Sed

extende paululum manum tuam et tange cuncta, quae possidet, nisi in faciem benedixerit tibi» ex occasione, qua prolata fuit ad «deserere», «valedicere» determinatur. Deus enim Jobi pietatem et constantiam in bono laudaverat, quod diabolus admittere nolens petit, ut Jobus affligatur, quo illa pietas Jobi tamquam in solis bonis externis fundata appareat.

b) Ostendit, num dictio proprie an improprie sit intelligenda. Sic verba Christi Domini Joan. 6, 54 ss.: «Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis . . Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus,» proprie accipienda esse, occasio docet. Vers. 53. enim Judaei scandalizati erant et litigabant dicentes: quomodo hic nobis potest carnem suam dare ad manducandum? Jesus autem scandalum eorum non removit, dicens illa improprie esse accipienda, sed idem vel magis affirmavit.

c) Docet, utrum aliquid absolute dicatur an relative. Ita verba Christi Matth. 10, 5: «In viam gentium ne abieritis et in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves, quae perierunt domus Israel» non absolute de omni tempore, sed de prima tantum missione accipienda esse, occasio indicat. Praeceptum illud enim Christus Dominus dedit, quando per Apostolos Evangelium praedicare incipiebat; Judaei enim scandalum sumpsissent, si Apostoli gentibus statim initio praedicassent. Sed postquam Judaeis doctrina Christi annunciata fuit, nihil obstabat, quominus Apostoli etiam ad gentes iter suum dirigerent.

d) Docet, sintne verba premenda an restringenda. Sic verba s. Pauli 1. Cor. 9, 21: «iis, qui sine lege sunt, tamquam sine lege fui» ad legem mosaicam restringenda sunt, quia de huius observantia contentio erat inter Corinthios.

e) Indicat rationem, cur auctor haec et non alia, hoc et non alio modo statuerit, ut verba Deut. 24, 1—4, quibus Judaeis potestas datur uxores dimittendi. Erat enim ille mos iam apud Judaeos, homines durae cervicis, apud quos absoluta prohibitio alia mala, et quidem maiora, adduxisset. Hinc melius erat illam potestatem solum certis condicionibus restringere.

f) Occasio saepe negative interpretem iuvat; si enim nulla circumstantia loquentem cogebat, cur haec vel illa diceret, si ea dixit, ea ut propriam opinionem et non per accommodationem ad opiniones lectorum vel auditorum dixisse censendus est. Pugnat hoc praesertim contra rationalistas, qui in verbis Christi et Apostolorum ubique accommodationem ad Judaeorum opiniones conspiciunt.

3. *Fontes,* e quibus orationis occasio innotescit, sunt:

a) Ipse loquens, occasionem suam aperte declarans. Sic ex. gr. s. Lucas 1, 1 s. scribit: «Quoniam multi conati sunt ordinare narra-

tionem, quae in nobis completae sunt, rerum: visum est et mihi assecuto omnia a principio diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile».

b) Alii testes fide digni, ut cum Evangelistae indicant occasiones, quibus Christus Dominus permotus est ad sermones suos habendos.

c) Historia auctoris et auditorum, quae, aliis fontibus deficientibus, perscrutanda est. Adiuncta, quibus oratio respondet, tunc pro occasione haberi poterunt, ut persecutio Saulica et rebellio Absalomica Davidi occasionem dedit plurium psalmorum componendorum.

d) Accurata orationis lectio interdum occasionem saltem probabilem indicat.

§ 35.

Auctoris scopus.

1. *Notio et divisio.* Quemadmodum generatim homo rationalis semper propter aliquem finem agit, ita et in specie dum scribit aut loquitur. Illa auctoris intentio effectum certum obtinendi *consilium* dicitur, si per respectum ad auctorem consideratur, et *scopus* appellatur per respectum ad ipsum effectum.

Scopus dividitur:

a) in *communem, generalem, specialem.*

α) Scopus *communis* s. Scripturae est, qui omnibus utriusque Foederis libris communis est.

β) Scopus *generalis* dicitur, qui pluribus libris sacris communis est, ut ex. gr. libris Antiqui Testamenti, ad Christum praeparare.

γ) Scopus *specialis* vocatur, qui uni libro vel etiam singulis libri partibus proprius est;

b) in *primarium* et *secundarium.*

α) *Primarius* est, quem auctor ex professo et prae ceteris intendit;

β) *secundarius* dicitur, qui ab auctore minus intenditur quam primarius;

c) in *didacticum, historicum, historico-dogmaticum, poëticum.*

α) *Didacticus* adest, si auctor veritatum sive ordinis intellectualis sive ordinis moralis cognitionem intendit.

β) *Historicus* est, si eventus praeteritos auctor describere intendit. Scopum pure historicum tamen nemo ex Auctoribus sacris habuit.

γ) *Historico-dogmaticus* dicitur, si auctor ope historiae certam veritatem demonstrare intendit;

δ) *Poëticus* dicitur, si auctor sua pia sensa manifestat, ut alios ad similia rapiat.

2. *Usus.* Cum quilibet prudens omnes orationis suae partes ita accommodet, ut scopo eius inserviant, et ea quae scopo repugnant, removere conetur, ita ut scopus velut anima orationis sit, eius cognitionem interpretem multum iuvare, in propatulo est; in specie

a) Dictionum ambiguarum sensum manifestat, ut Gal. 2, 6 excludit expositionem, iuxta quam *οὐδέν μοι διαφέρει* esset verbum regens et *ἀπὸ τῶν δοκούντων εἶναί τι* eius subiectum, ita ut sensus esset: quod ad me attinet, nolo esse aliquid in oculis eorum, qui sunt aliquid, i. e. Apostolorum. Hunc enim sensum scopus s. Pauli excludit, qui ut iudaizantes accusatores suos confundat, Hierosolyma eo venit, quo Apostoli Evangelium eius confirmarent.

b) Docet utrum dictio aliqua proprie sit accipienda an improprie. Sic verba Christi Joan. 3, 5: «Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu s., non potest introire in regnum Dei» proprie accipienda sunt, non improprie de aqua spirituali seu doctrina evangelica, quia scopus Christi erat Nicodemum instruere, quomodo homo possit in regnum Christi ingredi.

c) Indicat, num significatio aliquorum verborum absolute sit accipienda an relative, sub respectu aliquo. Sic cum solos abusus Judaeorum Christus corrigere voluerit, ea quae Matth. cap. 5. de prohibitione iuramenti dicit, non sunt absolute sumenda.

d) Manifestat, quaenam partes sint sermonis essentiales et quaenam solum per accidens, ex. gr. ornatus causa, ut in parabola de virginibus prudentibus et fatuis (Matth. 25, 1—12) virginum numerus specialem significationem non habet, cum scopus Christi ibi sit ad vigilantiam incitare.

e) Indicat, cur Scriptores sacri quaedam narraverint aliaque omiserint. Sic scopus Evangelii s. Joannis, scilicet probare Christi divinitatem et supplere, quae ab Evangelistis praecedentibus omissa fuerunt, rationem pandit, cur quaedam ab eis relata ipse non proferat.

f) Docet, num aliquis propriam mentem aperiat, an ex aliorum sententia loquatur. Sic si aliquis docet, demonstrat et praecipue si id uberius facit, suam opinionem proponere censendus est. E contra si loquens e concessis argumentatur, alios refutat, interdum ex aliorum sententia loquitur, ut cum Christus Dominus Matth. 12, 26 dicit: «Si satanas satanam eiicit, adversus se divisus est, quomodo ergo stabit regnum eius?» nullo modo Judaeorum opinionem de satanae per satanam eiectione admittit, sed ex concesso ad hominem argumentatur.

3. *Fontes.* Scopus loquentis dignoscitur:

a) Ex aperta auctoris declaratione, ut Ecclesiastes initio et in fine operis sui, et Christus Dominus Matth. 25, 13 parabolae de decem virginibus scopum ipse indicat verbis: «Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam».

b) Ex orationis argumento. Inquirendum est, quid auctor saepius repetat atque inculcet.

c) Ex orationis occasione; homo enim, ut certum consilium capiat, circumstantiis diversis ad hoc moveri solet, et ita quoque auctores sacri interdum scripserunt, ut dubia removerent aut vitia impugnarent aut animum debilium erigerent.

d) Ex traditione, qua interdum conservatum est, cur hic vel ille auctor sua scripta exaraverit.

§ 36.

Orationis auditores et lectores ceteraque adiuncta historica.

1. Auctor quilibet proxime suos auditores vel lectores alloquitur, indeque tali modo se exprimit, ut ab eis intelligatur. Sic ex. gr. Christus Dominus alio modo loquitur cum pharisaeis et scribis, alio modo cum suis discipulis et iterum alio modo cum agricolis. Hinc interpretem quam maxime nosse interest, quibusnam auctor sacer librum suum destinaverit, quosnam in singulis libri partibus alloquatur et quaenam fuerit eorum condicio et cultura.

Hoc enim modo saepe sensus dictorum determinatur, ellipses panduntur, cur auctor haec et non alia dixerit, cur responsum interdum prorsus omne negaverit indicatur, ut cur Matth. 26, 62 s. Christus Dominus responsum non dederit; cum enim verba a testibus allata responsione indigna essent et iudices, qui eius mortem omni sub condicione intendebant, omne eius responsum vanum ducerent, Christus responsum nullum dedit.

Lectores vel auditores cognoscuntur:

a) ex ipsius auctoris declaratione,

b) ex orationis argumento,

c) ex testimonio aliorum fide dignorum.

2. Multo facilius s. Scripturam intelligere poterimus, si etiam ceterarum personarum et rerum, quae in s. Scriptura describuntur vel ad quas saltem alluditur, notitiam nobis comparabimus. Innumerae enim sunt allusiones ad populi israelitici et finitimorum eius historiam, religionem, culturam, mores, consuetudines, quae dictorum sensum et rationem interdum obscuram reddunt, sed cognitae mentem s. Scriptorum aperiunt.

Sic ex. gr. puerorum Betlehemiticorum strages (Matth. 2, 16—18) possibilis apparebit cuilibet, qui Herodis crudelitatem apud Flavium Josephum et alios scriptores profanos legerit. Qui formam domuum orientalium noverit, facile intelliget illud Christi (Matth. 10, 27): «Quod n aure auditis, praedicate super tecta»; tecta enim Judaeorum quemad-

modum adhuc in Palaestina inveniuntur, plana fuerunt. E situ locorum in s. Scriptura commemoratorum bene noto rationem nominum quorundam deteget, ut cur mare Mediterraneum in s. Scriptura «mare occidentale,» mare Mortuum «mare ad orientem» vocetur etc.

Propterea interpres s. Scripturae bene noverit oportet:

a) historiam populi israelitici et populorum ei vicinorum, [1])

b) geographiam biblicam, [2])

c) antiquitates biblicas. [3])

Harum et similium disciplinarum scientiam iam Origenes inculcaverat, monens s. Gregorium Thaumaturgum (ep. ad Gregorium Neocaes.), ut τὰ ἐγκύκλια μαθήματα addisceret, i. e. geometriam, musicam, grammaticam, rhetoricam, astronomiam. Et uberius de historiae aliarumque scientiarum necessitate disseruit s. Augustinus (De Doctr. Christ. 2, 29 ss.).

---

[1]) Opera catholica consulenda: *D. B. Haneberg,* Geschichte der biblischen Offenbarung, ed. 4. Regensb. 1876; *J. Danko,* Historia revelationis V. et N. T. Viennae 1866; *F. Vigouroux,* La Bible et les découvertes modernes, Paris. 1879 ss; *Aem. Schöpfer,* Geschichte des Alten Testamentes, Brix. 1893 s.

[2]) *Laur. Clem. Gratz,* Schauplatz der heil. Schrift, ed. 2. Monaci 1858; *R. Riess,* Biblische Geographie, Friburgi 1872; eiusdem: Atlas Scripturae sacrae ib. 1896; *V. Guerin,* La terre sainte, Paris 1882 ss.

Res naturales describunt: *P. Cultrera,* Flora biblica, Palermo 1861; et Fauna biblica, Palermo 1880; *L. Cl. Fillion,* Atlas d'histoire naturelle de la Bible, Lugd. 1884.

[3]) De antiquitatibus biblicis agunt: *D. B. Haneberg,* Religiöse Alterthümer der Bibel, ed. 2. Monaci 1869; *Paul Scholz,* Die heil. Alterthümer des Volkes Israel, Ratisb. 1868; *Fillion,* Atlas archéologique de la Bible, Lugd. 1883; *Bern. Schäfer,* Die religiösen sowie die wichtigsten häuslichen u. politischen Alterthümer der Bibel, ed. 2. Monaster. 1891; *Petr. Schegg,* Biblische Archaeologie, Friburgi 1887.

Res historicas, geographicas, naturales, archaeologicas continent Dictionaria biblica; catholica duo prodierunt: *Calmet:* Dictionnaire historique, critique, chronologique, géographique de la Bible, Paris 1722; eius editionem latinam adornavit *J. D. Mansi. Fr. Vigouroux,* Dictionnaire de la Bible, Paris. 1892 ss.

Protestantes habent: *B. Winer,* Bibl. Realwörterbuch, ed. 3. Lips. 1847; *Schenkel,* Bibel-Lexikon, Lips. 1869—75; *Smith,* A dictionary of the Bible, London 1870.

CAPUT IX.

REGULAE QUAEDAM SPECIALES.

§ 37.

Expositio troporum.

1. *Indoles troporum s. Scripturae.* In Libris sacris multas locutiones tropicas adesse, notum est. Auctores sacri eis usi sunt tum ornatus causa, tum ut veritates quasdam magis inculcarent, tum etiam ut lectorum corda efficacius moverent.[1]) Est autem magnum discrimen inter tropos a nobis usitatos et tropos sacrae Scripturae.

a) propter *indolem populorum orientalium,* qui vivaciori imaginatione praediti esse solent, ita ut quae nos proprie exprimimus, ii tropice efferant troposque nostris audaciores ament, ut ex. gr. Psaltes facit (Ps. 77, 65) depingens Deum de Philistaeis vindictam sumentem: «Excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino, et percussit inimicos suos in posteriora.»[2])

b) propter *res peregrinas,* a quibus tropos desumunt. Sic Sapientia (Eccli. 24,17 ss.) se ipsam celebrat imaginibus, quarum quaedam nobis

---

[1]) «Sciant literati, inquit s. Augustinus (De Doctr. Chr. 3,29), modis omnibu locutionis, quos grammatici graeco nomine tropos vocant, auctores nostros uso fuisse. Quos tropos qui noverunt, agnoscunt in Literis Sanctis, eorumque scientia ad eas intelligendas adiuvatur.» «Convenit sacrae Scripturae, quae communiter omnibus proponitur, ut spiritualia sub similitudinibus corporalium proponantur, ut saltem vel sic rudes eam capiant, qui ad intelligibilia secundum se capienda non sunt idonei» (S. Thomas I. q. 1. a. 9). «Dieser anmuthige Bilderreichthum der heil. Schrift spricht den Leser lieblich an. Er soll aber nicht einzig zum Schmucke dienen, sondern manche Gedanken auf eine sehr eindringliche und zugleich vielseitige Weise bezeichnen. Das Bild beschäftigt nämlich die Phantasie und überlässt dem Leser oder Zuhörer noch mancherlei Entwicklungen, welche der Redende oder Schreibende nicht ohne lange Umschweife und doch nicht so bezeichnend hätte sagen können. An die Empfindung richtet sich auch das Bild und regt sie wunderbarerweise an, um Interesse und Wärme für die Sache im Herzen des Lesers zu erwirken. Die Dichter aller Nationen haben darin ein Mittel, auf ihre Leser wie mit einem Zauber zu wirken, und sie lassen es an den geeigneten Stellen nicht unbenutzt, wie von Homer an bis auf den jüngsten Dichter alle zeigen» (Loehnis, Grundzüge der bibl. Hermenentik u. Kritik, Giessen 1849 p. 90).

[2]) Cf. assyriacum *dûr appi* = murus nasi, id est «genae» et similia.

notae sunt aliae autem ignotae; comparat enim se cedro Libani, palmae, olivae etc. et postea prosequitur: «Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris, et quasi storax et galbanus et ungula et gutta et quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam . . . Ego quasi terebinthus extendi ramos meos.»

c) Propter *diversum iudicium,* quod de rebus habebant. Propter diversam enim culturam et varias consuetudines habebant in pretio res, quas nos viles consideramus et viceversa. Sic Joseph «primogenitus tauri» appellatur (Deut. 33, 17), Issachar «asinus ossis i. e. robustus» (Gen. 49, 14), natio «iuvenca pulchri oris» dicitur (Jer. 46,20). Huiusmodi comparationes, a quibus nos abhorremus, antiquis Hebraeis qui simplices pastores et agricultores erant, omnino obviae erant.

2. *Regulae tropos dignoscendi.* Jam Apostoli aliiqui Christi auditores interdum ea, quae tropice dixerat, in sensu proprio exponebant et vice versa. Sic ea, quae Jesus de regno Dei annunciaverat, de regno terrestri intelligebant, quae tropice de pharisaeorum fermento asseruerat, de pane communi exponebant, et nonnisi serius Christi discipuli cognoverunt, de suo corpore eum enunciasse illud: «Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud» (Joan. 2, 19—22); immo hodiedum de pluribus s. Scripturae dictionibus disputatur, sintne accipiendae proprie an figurate. Ut ergo interpres hac in re securus incedat, sequentem regulam observet:

Verba sacrae Scripturae in sensu proprio sunt accipienda, nisi ratio manifesta tropum adesse suadeat. — Hanc regulam iam s. Augustinus sequentibus verbis statuit: «Servabitur in locutionibus figuratis regula huiusmodi, ut tamdiu versetur diligenti consideratione, quod legitur, donec ad regnum charitatis perducatur. Si autem hoc iam proprie sonat, nulla putetur figurata locutio» (De Doctr. Christ. 3, 15). Ratio huius regulae in promptu est: Vocabulorum enim significatio propria natura prior est quam translata, quae ornatus, delectationis vel etiam necessitatis causa adhibetur; inde auctor quilibet proprie loqui praesumendus est, nisi aliud constet.

Ea autem, quae tropi praesentiam manifestant, sunt:

a) Si subiectum et praedicatum sunt heterogenea seu talia, ut praedicatum subiecto proprie convenire non possit, ut cum dicitur: «lapides clamant», «montes ut arietes exultant» et similia.

Observandum tamen est, ea quae de Christo primo aspectu sibi pugnantia asseruntur, non esse semper tropi indicium. Cum enim in eo duplex sit natura, una divina altera humana, in una persona coniunctae, praedicata, quae primo obtutu dissonantia apparent, ei conveniunt, dummodo ad subiectum correlatum referantur. Inde ei con-

veniunt ea, quae in primo capite Evangelii asseruntur de eius divinitate: eum ab aeterno extitisse, Deum esse, et ea quae deinde de eius nativitate e Virgine, de vita humana, passione et morte edicuntur.

b) Saepe contextus docet, num locutio sit propria an figurata.

c) Scopus auctoris. Itaque si auctor leges fert aut accuratius doctrinam aliquam exponit vel historiam narrat, tropi non sunt quaerendi, saltem non audaciores; e contra in partibus poeticis tropi saepissime adsunt.

d) Loci paralleli; sic Christus Dominus Joan. 11, 14 aperte Lazarum mortuum esse profitetur, ex quo etiam ibidem v. 11 dictum: «Lazarus amicus noster dormit», de mortis somno exponendum est.

3. *Regulae tropos exponendi.* Quodsi iam tropum adesse constat, eum accurate exponere oportet, quem in finem:

a) inquirendum est, a quanam re tropus desumatur. Solent autem Hebraei tropos depromere:

α) ex visibili rerum natura, eius productis et phaenomenis. Populus vitae pastoritiae et agriculturae deditus, qualis Israelitae erant, facile de natura eum circumdante loquitur, quapropter et imagines ex ea desumit. Hinc astra et terra, montes et valles, maria, fluvii et fontes, lapides, plantae et animalia tam saepe in Antiquo Testamento occurrunt scriptoribusque inserviunt ad res alias depingendas. Praecipue de plantis, imbribus et rore loqui amant, quia eis res erant ad vitam maxime necessariae. Cfr. ex. gr. Joel. 2, 2 ss.: «Quasi mane expansum super montes populus multus et fortis: similis ei non fuit a principio . . . Ante faciem eius ignis vorans et post eum exurens flamma; quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti, neque est, qui effugiet eum. Quasi aspectus equorum aspectus eorum, et quasi equites sic current.» Ps. 1, 3. 4: «Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium eius non defluet.»

β) E vita quotidiana, e moribus et consuetudinibus populi. Ratio vivendi Israelitarum admodum simplex erat; primum enim vitae pastoritiae dediti erant, dein etiam agros colebant, ut viri bellicosi autem semper etiam prompti erant ad hostium incursus reiiciendos. Hinc e vita nomadica, ex agricultura et arte bellica tanquam fontibus largis quam plurimae imagines desumptae sunt, ut cum coelum tentorio comparatur (Ps. 103, 2 al.), filia Babylonis areae (Jer. 51, 33), Deus bellatori. Intima inter Deum et populum israeliticum relatio apte imagine matrimonii depingitur, quaelibet huius populi infidelitas ut adulterium, et Dei erga populum ingratum misericordia tamquam adulterae receptio repraesentatur.

γ) Ex religione, quae legibus suis totam vitam privatam et publicam regebat. Sic ex. gr. peccati abolitio sub imagine deletae immun-

ditiei leviticae repraesentatur (Zach. 13, 1), cultus divinus a Messia introducendus ut iuge sacrificium et ministerium leviticum depingitur (Jer. 33, 18).

δ) *Ex historia.* Sic chaos ante opus distinctionis et ornatus existens prophetae Jeremiae (4,23 ss.) est imago futurae vastitatis terrae sanctae; in Psalmis aliisque libris saepe occurrit imago civitatum Sodomae et Gomorhae deletarum, servitutis aegypticae, transitus miraculosi per mare Rubrum etc.

b) Interpres inquirat, qualis tropi species dicto inhaereat; secus enim confusio oriri posset.

c) Hisce iam detectis, rationem similitudinis accuratius inquirat et quousque se extendat, investiget, seu aliis verbis: videat, quid sit tertium comparationis. Hac in re interpretem minus etymologia iuvat quam contextus et loci paralleli. Sic dolores sunt tertium comparationis in Num. 33, 55: «Sin autem nolueritis interficere habitatores terrae, qui remanserint, erunt vobis quasi clavi in oculis et lanceae in lateribus et adversabuntur vobis in terram habitationis vestrae.» Versu sequenti enim dicitur: «Quidquid illis cogitaveram facere, vobis faciam.» Brevitas est ratio similitudinis, cum Os. 6, 4 de poenitentia dicitur: «Misericordia vestra quasi nubes matutina et quasi ros mane pertransiens.»

Tertium comparationis praecipue in exponendis allegoriis rhetoricis (praesertim in parabolis) est investigandum neque plus iusto extendatur. «Permulta sane allegoriis et parabolis admixta esse solent, quae non ad rem significatam, sed unice ad perfectionem imaginis atque ad ornatum sermonis spectant; ut adeo hic prorsus idem habeat locum, quod in statuis aut picturis symbolicis obtinet, in quibus ipsa dumtaxat integra figura est symbolum rei significatae et significat id, quod pictor aut sculptor indicare voluit: ex. gr. matrona, velatis oculis libram in manu tenens, sistitur ceu symbolum iustitiae; atque prout in his quisque prudens unice integram figuram, e. g. matronam ipsam, cum principalibus adiunctis, nempe oculis velatis et libra considerat et explicat, in ceteris autem, quae unice ad complendam figurae integritatem adiicienda erant, uti in capillis, digitis, unguibus, fimbriis etc. nullam quaerit significationem, ne fors rideatur a pictore: ita etiam in allegoriarum aut parabolarum sensu constituendo tantum pars principalis cum essentialibus adiunctis explicanda, nequaquam autem singula anxie scrutanda sunt. Quare si quis in parabola de filio prodigo, postmodum poenitente, ad patrem reverso, ac benigne excepto Luc. 15, 11 ss. ea, quae dicuntur de prima stola, de calceamentis, de annulo, vitulo saginato etc. quae nonnisi ad ornandam imaginem adiecta sunt, et generatim tantum gaudium exprimunt, — ad ipsam principalem doctrinam referret atque singulis distinctum sensum subesse existimaret, certe insulsam proferret interpretationem. Sensum vero totius huius parabolae, spectata occasione,

contextu etc. ita constituere licet: Deus serio poenitentiam agentes benigne in gratiam recipit, peccata iis remittit, eosque beneficiis ornat.»[1])

§ 38.

Expositio prophetiarum.

1. *Notio.* In s. Scriptura, imprimis in Antiquo Testamento, multae prophetiae occurrunt.

Propheta (προφήτης) vi etymologiae significat loquentem et praesertim talem, qui ex mente et voluntate alterius loquitur. Eandem significationem habet correspondens vox hebraica נָבִיא, ut deprehendimus ex verbis Dei ad Moysen dictis, cum ad Pharaonem accedere recusaret, eo quod non esset sat eloquens: «Ecce constitui te Deum Pharaonis, et Aaron frater tuus erit propheta tuus. Tu loqueris ei omnia, quae mando tibi, et ille loquetur ad Pharaonem.» Speciali modo autem propheta appellatur, qui futura praedicit.[2])

Ad munus suum exercendum propheta exornatur a Deo lumine prophetico, quo de rebus iudicat et interdum etiam novas species sive sensibiles sive imaginarias sive intellectuales accipit. «Per donum prophetiae, inquit s. Thomas (II. II. q. 173 a. 2.), confertur aliquid humanae menti supra id, quod pertinet ad naturalem facultatem, quantum ad iudicium per influxum luminis intellectualis et quantum ad acceptionem seu repraesentationem rerum, quae fit per aliquas species. . . . Horum autem duorum principalius est primum in prophetia, quia iudicium est completivum cognitionis. . . . Repraesentantur autem divinitus menti prophetae, quandoque quidem mediante sensu exterius quaedam formae sensibiles, sicut Daniel vidit scripturam parietis, ut legitur Dan. 5.; quandoque autem per formas imaginarias, sive om-

---

[1]) *J. Ranolder,* Hermeneutica ed. 2. p. 153 s.

[2]) «Cognitio prophetica est per lumen divinum, quo possunt omnia cognosci tam divina quam humana, tam spiritualia quam corporalia, et ideo revelatio prophetica ad omnia huiusmodi se extendit . . . . Considerandum tamen est, quod quia prophetia est de his, quae procul a nostra cognitione sunt, tanto aliqua magis ad prophetiam pertinent, quanto longius ab humana cognitione existunt. Horum autem est triplex gradus. Quorum unus est eorum, quae sunt procul a cognitione huius hominis sive secundum sensum sive secundum intellectum, non autem a cognitione omnium hominum. Secundus autem gradus est eorum, quae excedunt universaliter cognitionem omnium hominum, non quia secundum se non sint cognoscibilia, sed propter defectum cognitionis humanae, sicut mysterium Trinitatis. Ultimus autem gradus est eorum, quae sunt procul ab omnium hominum cognitione, quia in se ipsis non sunt cognoscibilia, ut contingentia futura, quorum veritas non est determinata. Et quia quod est universaliter et secundum se, potius est eo quod est particulariter et per aliud, ideo ad prophetiam propriissime pertinet revelatio eventuum futurorum» (S. Thomas II. II. 2. 171 a. 3.).

nino divinitus impressas, non per sensum acceptas, vel etiam divinitus ordinatas ex his, quae a sensibus sunt acceptae, sicut Jeremias vidit ollam succensam a facie aquilonis, ut habetur Jer. 1; sive etiam imprimendo species intelligibiles ipsi menti, sicut patet de his, qui accipiunt scientiam vel sapientiam infusam, sicut Salomon et Apostoli. Lumen autem intelligibile quandoque quidem imprimitur menti humanae divinitus ad diiudicandum ea, quae ab aliis visa sunt, sive etiam ad iudicandum secundum divinam veritatem ea, quae cursu naturali homo apprehendit, sive etiam ad diiudicandum veraciter et efficaciter ea, quae agenda sunt. Sic igitur prophetica revelatio quandoque quidem fit per solam luminis influentiam, quandoque autem etiam per species de novo impressas vel aliter ordinatas.»

Inde fit, ut non omnia, quae in libris prophetarum leguntur, prophetiae strictius sumptae sint, seu futurorum praedictiones; e contra in libris historicis praeter eventuum praeteritorum relationes multae prophetiae reperiuntur.

2. *Quomodo prophetiae dignoscuntur?* Interpretem quaerentem, ubinam prophetia adsit, iuvant:

a) Introductio ad illum textum propheticum, quae interdum sequentia ut prophetiam manifestat, ut cum 2. Reg. 7, 4 dicitur: «Factum est autem in illa nocte et ecce sermo Domini ad Nathan, dicens.»

b) Hagiographi Novi Testamenti, ut cum Matth. 1, 22 s. dicitur: «Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit etc.» (Js. 7, 14.)

c) Antiquae Synagogae et Ecclesiae traditio; hoc modo ex. gr. Ps. 44 propheticus dicitur.

d) Deficientibus hisce indiciis, interpres quandoque in ipso textu ob argumenti elevationem aut formae sublimitatem prophetiae signa reperiet, ut Js. 9, 1 ss.

3. *Interpretatio prophetiarum.* Ubi interpreti de prophetia constat, ad eius rectam interpretationem accedat, quem in finem sequentia observet:

a) Prophetiae initium et finem indicet;

b) argumentum eius secundum usum loquendi, criteria interna et externa consideret;

c) inquirat, utrum prophetia sit absoluta an condicionata;

d) in historia prophetiae, quam interpretatur, adimpletionem quaerat, cum hoc modo ipsi textui prophetico interdum lumen afferatur.

Prophetiarum messianicarum adimpletio in libris Novi Testamenti et Ecclesiae historia, prophetiarum quae ad populum israeliticum et nationes ei vicinas [1]) referuntur, in eorum historia reperiet;

e) tempus praenunciatorum bene distinguat; prophetae enim saepe unica imagine plures eventus tempore distantes depingunt, futura tanquam eventus praeteritos, praesentes aut saltem mox imminentes delineant.

---

[1]) De vaticiniis contra gentes Israelitis vicinas cf. opus «De oneribus biblicis contra gentes» auctore *C. Rohart.* Insulis 1893.

SECTIO SECUNDA.

HEURISTICA
CHRISTIANA.

§ 39.

Praenotamina.

Hucusque regulas attulimus, quarum ope sensus s. Scripturae, tanquam libri sermone humano conscripti, eruatur. Verum hae regulae interpreti sacro non sufficiunt, cum Scriptura sacra liber sit divinus, id est Deum habens auctorem, quo inspirante scriptores sacri libros suos exararunt.

Non est nostrum, inspirationem ipsam probare eiusque limites indicare; propterea neque de quaestione agemus, num inspiratio verbalis sit admittenda, quam multi veteres contra auctores recentiores docent. Cum tamen sententia, inspirationem ad singula verba extendi, interdum rationibus impugnetur, quae nullam vim probativam habent, liceat hic earum aliquas ad tyronum utilitatem referre:

«Veterum illa assertio ex eo certe impugnari nequit, 1⁰ quod sit magna in variis Libris styli diversitas, a patribus etiam ac doctoribus scholasticis indicata. Divinus scilicet influxus sacrorum auctorum indoli sese accommodat, quemadmodum Deus generatim causas creatas secundum naturam earum capacitatemque movet.

2⁰ Neque illud tanti ponderis esse videtur, quod patres «non verba, aiunt, in Scripturis consideranda, sed sensum» (Cf. Hieron. ep. ad Pamm.; August. De Cons. Evang. l. 2. n. 66); iis enim locis patres veram interpretandi rationem edisserunt adversus eos, qui verba *materialiter* tantum, non *formaliter*, hoc est, mere *propter se*, non *propter sensum* per verba expressum, considerant.

3⁰ Posita inspiratione verbali, non sequitur, ut versiones iam S. Scriptura vocari nequeant. Namque verba originalium, in alium sermonem conversa, modo versio sincera sit, non nisi *materialiter* mutari videntur.»[1])

---

[1]) *J. V, De Groot,* Ord. Praed., Summa Apologetica de Ecclesia catholica. Ed. 2. Ratisbonae 1892 p. 627. Cf. etiam *P. Lagrange* O. Pr.: «Une pensée de s. Thomas sur l'inspiration scripturaire» in Revue biblique 1895 p. 563 ss.

CAPUT X.

DE REGULIS, QUAE EX INSPIRATIONE S. SCRIPTURAE DERIVANTUR.

§ 40.

Animi dispositio in s. Scriptura interpretanda.

1. Cum s. Scripturae auctor principalis sit ipse Deus, eam s. Patres et doctores quidam non incongrue Litteras appellarunt, quas Pater Caelestis nobis per scriptores sacros ad nostram utilitatem misit. *Ardens* igitur a nobis requiritur *studium*, ut sensum illarum litterarum cognoscamus. Si enim extra patriam degentes parentum litteras nobis missas iterum atque iterum legimus earumque singula verba ponderamus, multo diligentius Litterae Patris caelestis a nobis legendae sunt earumque sensus accurate investigandus.

2. Requiritur etiam *recta animi dispositio;* libri sacri legendi sunt debita cum intentione, attentione, humilitate, mente fideli.

a) *Recta intentio* in legente requiritur, quia s. Scriptura non est nobis data curiositatis gratia, sed ut bene monet s. Augustinus (c. Faust. 13, 18) «ad commemorationem fidei nostrae et ad consolationem spei nostrae et ad exhortationem caritatis nostrae.»

b) *Debita attentio* adsit, ut Deum ad nos loquentem intelligamus neve eius verba falso interpretemur. «Honora Scripturam Dei, inquit s. Augustinus (in Ps. 146, 6), honora verbum Dei etiam non apertum; differ pietate intelligentiam. Noli protervus esse, noli accusare aut obscuritatem aut quasi perversitatem Scripturae. Perversum hic nihil est, obscurum autem aliquid est, non ut tibi negetur, sed ut exerceat accepturum. Ergo quando obscurum est, medicus ille fecit, ut pulses; voluit, ut exercereris in pulsando; voluit, ut pulsanti aperiret. Pulsando exerceberis, exercitatus latior efficieris, latius factus capies, quod donatur. Ergo noli indignari, quod clausum est; noli recalcitrare adversus obscura et dicere: Melius diceretur, si sic diceretur. Quando enim tu potes sic dicere aut iudicare, quomodo dici expediat? Sic dictum est, quomodo dici debuit. Non corrigat aeger medicamenta; novit ea medicus modificare; ei crede, qui te curat.»

c) *Humilitas* maxime necessaria est, ut ipse s. Augustinus in se expertus est. «Cum primo puer ad divinas Scripturas ante vellem afferre acumen discutiendi, quam pietatem quaerendi, ego ipse contra me perversis moribus claudebam ianuam Domini mei; cum pulsare deberem, ut aperiretur, addebam, ut clauderetur. Superbus enim audebam quaerere, quod nisi humilis non potest invenire . . . Ego miser, cum me ad volandum idoneum putarem, reliqui nidum et prius cecidi, quam volarem» (Sermo 51,5).

Quae omnia facile nos monebunt, ut ferventi *oratione* a Deo lumen necessarium petamus. «Non solum admonendi sunt studiosi venerabilium Scripturarum, ut in Scripturis sanctis genera locutionum sciant, et quomodo apud eas aliquid dici soleat, vigilanter advertant memoriterque retineant; verum etiam quod est praecipuum et maxime necessarium, orent ut intelligant, in eis quippe Litteris, quarum studiosi sunt, legunt: quoniam Dominus dat sapientiam et a facie eius scientia et intellectus, a quo et ipsum studium, si pietate praeditum est, acceperunt» (S. August. De Doctr. Chr. 3, 37.). «Magnus error eorum est, qui sine Spiritus Sancti peculiari dono Scripturam sacram existimant se posse vel intelligere vel interpretari. Quod utique donum, quanto magis sacris Litteris intelligendis atque interpretandis opus est, tanto rarius difficiliusque contingit. Nam eruditionem, verborum copiam, multarum linguarum peritiam, hominum diligentia praestat. At si spiritus quidem peculiaris, non tam ob ipsius, qui percipit, quam ob Ecclesiae utilitatem gratuita Dei miseratione donatus sacrorum Librorum interpreti desit, ieiuna erunt et frigida omnia, quamlibet elaborata et diu ante excogitata et inventa fuerint. Immo falsa erunt in interpretatione pleraque humano sensu intelligentiaque traducta» (Melch. Cano Ord. Praed. De locis theologicis l. 2. c. 14).

d) *Mens fidelis* interpretem non parum iuvat, ut Dei verborum sensum verum cognoscat. «Multum superbus, inquit s. Augustinus (in Ps. 147, 2) et praeceps est aeger, qui et medicum monere audet etiam hominem. Consiliumne audebit dare aeger medico? Ubi homo aegrotat et Deus curat, magnum pietatis et sanctitatis initium est, antequam scias, quare quid dictum sit, credere sic dici debuisse, ut dictum est. Haec enim pietas faciet te capacem, ut quaeras, quod dictum est, et cum quaesieris invenias, et cum inveneris gaudeas.»

§ 41.

S. Scripturae veracitas.

1. Cum Deus sit s. Scripturae auctor, qui neque falli neque fallere potest, sententiae eius hermeneutice verae simul obiective verae sunt, id est, si sententia aliqua in s. Scriptura affirmatur, certum est, eam etiam in se veram esse. Inde *firmiter tenendum est, omnem interpretationem,*

quae supponat Scriptorem inspiratum errorem docuisse, reiiciendam esse. Id quod recenter Leo XIII. in suis encyclicis (Prov. Deus) sequentibus verbis inculcavit: «Haec est antiqua et constans fides Ecclesiae, solemni etiam sententia in Conciliis definita Florentino et Tridentino; confirmata denique atque expressius declarata in Concilio Vaticano, a quo absolute dictum: «Veteris et Novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii (Tridentini) decreto recensentur et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati, nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant, sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem» (Sess. 3., c. 2. de revel.). Quare nihil admodum refert, Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent: secus non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae. Hoc ratum semper habuere ss. Patres: «Itaque, ait Augustinus, cum illi scripserunt, quae ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit: quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt» (De Consensu Evang. l. 1. c. 35); pronunciatque S. Gregorius Magnus: «Quis haec scripserit, valde supervacanee quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit; ipse scripsit, qui et in illius opere inspirator exstitit» (Praef. in Job. n. 2). Consequitur, ut qui in locis authenticis Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant aut Deum ipsum erroris faciant auctorem. Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit, divinas Litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quae contrarii aliquid vel dissimile viderentur afferre (eadem fere sunt, quae nomine novae scientiae nunc obiiciunt), non subtiliter minus quam religiose componere inter se et conciliare studuerint; professi unanimes, Libros eos et integros et per partes a divino aeque esse afflatu Deumque ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse.»

2. Verum specialis oboritur quaestio de iis s. Scripturae textibus, in quibus aliorum verba referuntur, aut auctor sacer suam propriam mentem manifestat. Praesertim primi generis exempla frequenter occurrunt, ut verba Jacob ad morientem Esau Gen. 27, 19, sermo Achioris in Judith historia (Judith c. 5), sermones amicorum Jobi in

libro Job, verba Apostolorum in Evangeliis et Actibus Apostolorum, sermo s. Stephani protomartyris (Act. c. 7), canticum Annae, matris Samuelis (1 Sam. 2, 1 ss.), Beatae Virginis (Luc. 1, 46 ss.), Zachariae (Luc. 1, 68 ss.) etc.

Ex inspirationis notione patescit, eiusmodi verba revera prolata fuisse, et quidem iis in circumstantiis, quas s. Scriptura indicat, idque ab interprete firmiter tenendum est. Aliud autem est, de interna veritate aut falsitate illorum dictorum disserere; aliqua falsa esse, ipse s. Augustinus iam clarissime affirmavit, dicens: «In Evangeliis, quamvis verum sit omnino, quod dicta sint, non tamen omnia, quae dicta sunt, vera esse creduntur, quoniam multa a Judaeis falsa et impia dicta esse, verax Evangelii Scriptura testatur» (Ad Oros. c. Priscill. 9). Quapropter interpres criteriis indiget, quae eum iuvent ad dictorum eiusmodi valorem internum diiudicandum.

a) Quod spectat ad verba aliorum ab hagiographis relata, sequentes regulae statui possunt:

α) Divina auctoritate gaudent ea verba in s. Scriptura relata, quae Deus, angeli, prophetae qua prophetae et Apostoli qua Apostoli pronunciant. De verbis, quae ab hagiographo ipsi Deo attribuuntur, nulla est difficultas. Angelos vera loqui, deducere possumus ex verbis s. Pauli (Hebr. 1, 14): «Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis?» Si igitur tamquam homines loquuntur, ut ministri Dei loquentes censendi sunt. Prophetae et Apostoli interdum tanquam personae privatae loquentes repraesentantur, quare tunc verba eorum nonnisi auctoritate humana gaudent; sed auctoritate divina gaudent eorum verba, cum officio suo funguntur, id quod praecipue tunc adest, quando publice loquuntur.[1])

Sola pietas personae loquentis non sufficit ad hoc, ut eius verba tamquam inspirata accipiamus, cum etiam pius falli possit.

β) Inspirata sunt etiam verba illarum personarum, quae non erant Apostoli neque munere prophetico in sensu proprio fungebantur, at nihilominus ita erant affectae in momento, quo verba sua protulerunt, ut lumine prophetico praeditae censendae sint. Huc pertinent ex. gr. verba patriarchae Jacob morientis (Gen. 49), prophetia Balaami (Num. c. 23 et 24), sermo Tobiae senioris (Tob. 13, 14), canticum Simeonis (Luc. 2, 34—35), Beatae Virginis (Luc. 1, 46 ss.), Zachariae (ib. v. 68 ss).

---

[1]) Apostolorum verba, quae in Evangeliis referuntur, non sunt inspirata, saltem communiter, quia ea protulerunt, antequam Spiritum s. acceperunt; propterea etiam a Christo Domino saepe improbantur. «Ipsi Apostoli, ait s. Augustinus (ad Oros. c. Priscill. 9), prae ceteris electi et Domini lateribus cohaerentes eiusque ore pendentes multa reperiuntur improbanda dixisse, quae commemorare prolixum est, ita ut beatus Petrus de quibusdam verbis suis non solum reprehendi, sed etiam satanas appellari meruerit.»

Quandoque tamen difficile est certum iudicium ferre, num persona quaedam loquens hoc lumine prophetico affecta fuerit, idque tunc etiam, cum persona illa Spiritu s. plena fuisse dicitur, quoniam ignoratur, sintne verba haec plene accipienda et etiam ad *loquentem* qua talem referenda. Exemplum celeberrimum habemus in sermone s. Stephani protomartyris, qui ex mente Melchioris Cani, viri ut apud omnes constat in theologia et s. Scriptura versatissimi, vulgi opinione deceptus fuit et memoriae lapsum passus est. «Nos autem non Stephanum ab omni lapsu, sed Evangelistam vindicare debemus. . . . . At Stephanus plenus erat Spiritu Sancto: fateor. At Spiritus loquebatur in eo: et id equidem fateor. Sed aliter in Christo Spiritus loquitur, aliter in prophetis et Apostolis, aliter in Stephano et Ambrosio. Ac certe per hos omnes loquebatur. Per Concilium generale Deus Ecclesiae loquitur, per Ecclesiae pastores Deus Ecclesiae loquitur, per veteres sanctos Deus Ecclesiae loquitur. Et hi omnes tamen in parvis labi possunt, memoria praesertim, ubi lapsus facilior est. Scriptorum ergo sacrorum hoc privilegium est, ut nullus eorum in scribendo erret. Apostolorum privilegium est, ut nullus eorum in docendo erret. Stephano privilegium hoc nec ratio concedit nec auctoritas. Nec vero a sacris auctoribus alienum est, errantium quoque verba referre» (De locis theol. l. 2. c. 18).

γ) Tamquam inspirata accipienda sunt etiam verba merorum hominum, quae ab hagiographis recentioribus tamquam Scriptura Dei formulis «Scriptura dicit», «Scriptum est» similibusque laudantur. Sic S. Paulus (1. Cor. 3, 19) scribit: «Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum», quae verba Eliphazi sunt (Job. 5, 13).

δ) Pro inspiratis habeamus oportet ea verba, quae ex Ecclesiae consensu talia sunt; huiusmodi est ex. gr. canticum B. Virginis (Magnificat).

ε) Interdum e solis regulis dialecticis et rhetoricis diiudicare possumus, num verba aliqua vera et inspirata sint, ut ex. gr. in libro Job, in quo prologus et epilogus certe inspiratus est, similiterque verba Dei; at de Jobi et trium amicorum eius sermonibus magna est difficultas. Etenim multa in iis vera sunt et inspirata agnoscuntur, sed non omnia, cum Deus ad Eliphaz dixerit: «Iratus est furor meus in te et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum» (42, 7), et Job de se ipso asseruerit: «Qui leviter locutus sum, quid respondere possum?» (39, 34) de quibus Jobi verbis dicit s. Thomas: «Job tripliciter in hoc libro invenitur fuisse locutus. Primo quidem quasi repraesentans affectum sensualitatis in prima quaestione, cum dixit: «Pereat dies». Secundo exprimens deliberationem rationis humanae, dum contra amicos disputaret. Tertio inspirationem divinam, dum ex persona Domini verba induxit. Et quia humana ratio dirigi debet secundum inspirationem divinam, post verba Domini, quibus quae

secundum rationem humanam dixerat, reprehendit» (S. Thom. in Job. 39 lect. 1). Videtur igitur tota res iuxta leges dialogi diiudicanda esse, ita ut tamquam auctoris sententiam accipiamus, quod in dialogo refertur ob omnibus disputantibus admissum et ab auctore ipso non improbatum.

b) Quod autem attinet ad verba ipsius hagiographi, quibus suam propriam mentem suosque motus aperit aut indeterminate et dubitanter loquitur, interpres ante omnia admittere debet, eum ita revera affectum fuisse. Quoad valorem illorum verborum internum haec statui possunt:

α) Si hagiographus refert, quid ipse prius senserit, non est illi sententiae maior auctoritas concedenda quam humana, quoniam non est supponendum auctorem illum per totam vitam suam inspiratum fuisse, sed solummodo cum qua hagiographus scriberet.

β) Cum hagiographus aliquid ut suum proprium narrat, quemadmodum ex. gr. s. Paulus facit 1. Cor. c. 7, ubi se expresse a Deo distinguit verbis: «ceteris ego dico, non Dominus» (ib. v. 12), narratio nihilominus canonica et inspirata est, quia nihil impedit, quominus Deus suam sententiam tamquam sui hagiographi mentem proponat. Etiam homo scribam aliquem movere potest ad similem exprimendi modum, ita ut taliter scripta revera etiam dictantis sententia sint.

γ) Si hagiographus indeterminate aut dubitanter loquitur, ut fit Joan. 2, 6: «Erant autem ibi lapideae hydriae sex positae secundum purificationem Judaeorum, capientes singulae metretas binas vel ternas», eiusmodi sententiae inspiratae et canonicae sunt; licet enim Deo ad homines loquenti humano modo se exprimere.

§ 42.

De antilogiis.

1. *Antilogia* dicitur affirmatio et negatio eiusdem praedicati de eodem subiecto sub eodem respectu considerato.

Huiusmodi contradictiones in s. Scriptura admittendas non esse, ex inspirationis notione manifestum est. Cum enim idem sit auctor principalis omnium librorum canonicorum et scriptores humani nonnisi eius instrumenta fuerint, vera contradictio inter textus sacros adesse non potest sed solum repugnantia apparens, quae *enantiophania* dicitur. Haec est constans opinio Patrum; s. Justinus scribit (c. Tryph. 65): «Scripturas inter se pugnare nunquam audebo nec cogitare nec dicere; sed si qua proponatur Scriptura, quae eiusmodi esse videatur et praetextum, quasi alteri esset contraria, praebeat, ego, cum persuasum habeam nullam Scripturam alteri contrariam esse, fatebor potius me non intelligere, quae dicuntur.» Et s. Augustinus (epist. 82 ad Hier.) ait: «Ego enim fateor charitati tuae, solis eis Scripturarum libris, qui iam canonici

appellantur, didici hunc honorem timoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam; at si aliquid in eis offendero litteris, quod videtur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam.»

2. Hisce verbis s. Augustinus tres errorum et contradictionum apparentium causas generales indicat, scilicet:

a) codicem mendosum, veram et originariam lectionem non referentem; [1])

b) versionem non fidelem seu sensum textus originarii non bene reddentem;

c) lectoris ignorantiam, verum dictorum sensum non percipientem aut non attendentem ad personas, quarum verba referuntur. Interdum enim hagiographus refert verba personarum non inspiratarum, quae utpote humana falsitatem continere possunt.

Praeter has generales contradictionum causas speciales quaedam assignari possunt, quae interpretem non parum iuvant in exponendis locis sibi repugnare videntibus.

a) In *locis dogmaticis* sequentes antilogiarum causae frequentiores sunt:

α) Diversum scribendi consilium. Fines enim varii, quos sibi auctores praefixerunt, eos movit, ut unus circumstantias interdum has referat et alter alias, ut unus auctor hoc et alter alio modo rem exprimat. Huc spectant illa saepius occurrentia de iuramentis omittendis, de iniuriis non repellendis et contradictio apparens in iis, quae s. Paulus et s. Jacobus de bonorum operum necessitate scribunt.

β) Modus scribendi minus accuratus. Auctores sacri enim doctrinam suam non systematice proponunt, sed prout occasio et necessitas fert; inde eadem res in locis diversis sub diversu respectu repraesentatur. Interdum aliorum verba referentes, hagiographi ea non ad verbum allegant, sed solum sensum exprimunt, ut cum de Christo ad Apostolos loquente Marc. 6, 8 dicitur: «Et praecepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum» et Luc. 9, 3: «Nihil tuleritis in via, neque virgam».

---

[1]) Hoc modo praecipue repugnantiae in numeris s. Scripturae explicari possunt, praesertim ex eo, quod Hebraei interdum numeros non plene scribebant, sed solis alphabeti signis designabant, in quibus transscribendis facile error committi potuit. In stela Mesae et in inscriptione, quae in aquaeductu Siloe inventa est, numeri quidem plene scribuntur, at in Maccabaeorum numismatibus saepe iam solis alphabeti signis indicantur. Iamvero non cogimur credere, illum usum tunc temporis primum invaluisse, eum nos cum reperire possumus. Ex hoc scribendi modo explicare possumus ex. gr., cur 2. Sam. 24, 13 septem anni, at 1. Chron. 21, 12 tres tantum occurrant: signum ז enim cum ג facile permutari potuit.

γ) Indoles linguarum orientalium. Occurrunt enim quaedam iuxta nostrum usum loquendi contradictoria, quae usu loquendi biblico accuratius inspecto minime sibi repugnant. Hoc modo exponenda sunt verba Christi Luc. 14, 26: «Si quis venit ad me et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus,» per comparationem ad alios textus, ubi proximorum amor inculcatur, ut Ex. 20, 12: «Honora patrem tuum et matrem tuam;» Matth. 22, 39: «Diliges proximum tuum sicut te ipsum;» Math. 5, 44: «Diligite inimicos vestros.» Odium enim in verbis Christi Luc. 14, 26 ex usu loquendi non est absolute intelligendum sed relative, de amore minus intenso.

Huc etiam spectant illi textus de «fratribus Jesu» et ille, in quo Christus primogenitus appellatur, quae B. Virginis virginitati repugnare videntur; at contradictio apparens facile solvitur ex usu loquendi biblico, quia, ut s. Hieronymus optime notat (c. Helvid. 4): «quatuor modis in Scripturis fratres dicuntur: natura, gente, cognatione, affectu,» et (in Matth. 1, 25, c. Helvid. 10) «mos est divinarum Scripturarum, ut primogenitum non eum vocent, quem fratres sequuntur sed eum, qui primus natus sit» vel «non eum tantum, post quem et alii, sed ante quem nullus».

δ) Diversae eiusdem vocis significationes. Sic Gen. 22, 1 legimus: «Tentavit Deus Abraham, ut offerret filium suum Isaac;» Deut. 13, 3: «Tentat vos Dominus Deus, ut palam fiat, utrum diligatis eum;» at Jac. 1, 13 legitur: «Deus neminem tentat.» Contradictio non est nisi apparens, cum in primis duobus textibus voci «tentare» significatio «experimentum facere» adsit, in tertio autem loco «ad malum morale incitare» significet.

ε) Diversa hagiographorum aetas. Quemadmodum enim magister humanus totam suam doctrinam non statim initio manifestat, sed dicenda discipuli captui attemperat, ita et magister divinus fecit respectu veritatum revelatarum, indeque in Novo Testamento quaedam occurrunt, quae in Antiquo non nisi obscure indicantur aut prorsus ignota sunt, et in ipso Novo Testamento sub quodam respectu progressus detegitur, ut ex verbis ipsius Christi ad discipulos eruitur: «Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem» (Joan. 16, 12). Propterea etiam in libris Antiqui Testamenti aliqua praecepta leguntur, quae in Novo Testamento non obligant, sed etiam prohibentur, ut circumcisio (Gal. 5, 2).

b) In *locis historicis* repugnantiarum apparentium causae frequentiores sunt:

α) Omissio alicuius rei, quam alius auctor expresse refert. Hoc ex capite aliqui interpretes rationalistae factorum quorumdam veritatem

historicam negant, at perperam, cum unus auctor rem ab alio commemoratam silentio praeterire possit aut quia eam rem ex alio auctore notam praesupponit, aut quia minus intime coniuncta est cum fine scriptionis.

β) Diversus auctorum diversorum narrandi modus. Auctores enim iuxta rationem suorum lectorum vel auditorum sermonem suum disponunt et uno auctorum rem obiter attingente, numeros rotundos pro determinatis indicante, personas non accurate determinante, alter rem fusius et accuratius delineat omnesque circumstantias depingit. Ita Matth. 26, 8—12 dicitur de unctione capitis Christi in domo Lazari recumbentis: «videntes discipuli indignati sunt dicentes: ut quid perditio haec? etc.» Sed s. Joannes 12, 1—8 idem describens factum asserit solum Judam verba illa dixisse.

γ) Diversitas personarum loquentium. Interdum enim personae non inspiratae verba referuntur, quae falsa continere possunt; ut cum 1 Sam. 31, 4 dicitur, Saulem in proelio vulneratum in gladium suum irruisse, at 2 Sam. 1, 2—10 referantur verba Amalecitae asserentis se occidisse Saulem. Amalecitae huius sermo enim non est nisi humanus mendaciumque continet spe premii.

δ) Multiplicitas nominum eiusdem personae. Sicut enim nunc usus existit apud orientales, ut una persona plura habeat nomina, ita etiam temporibus antiquis erat; inde eadem persona mox sub uno mox sub altero nomine latet, quod interpretem seducere potest.

c) Ad solvendas antilogias in *locis propheticis* interpres sequentes regulas prae oculis habeat:

α) Si una prophetia alteri repugnare videtur, investiget interpres, num utraque ex Dei voluntate procedat, an una ex iis in sola auctoritate privata fundetur. Sic Nathan 2 Sam. 7, 3 approbat intentionem Davidis de templo exstruendo ex sua auctoritate privata; at postea (v. 5—16) meliora a Deo edoctus dicit, templum non a Davide sed a Salomone exstruendum esse.

β) Si prophetia eventibus sequentibus repugnare videtur, quaerat interpres, utrum prophetia absoluta fuerit an condicionata. Sic verba Jonae 3, 4: «Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur» condicionata fuerunt, sc. nisi Ninivitae poenitentiam egerint.

γ) Si de eodem subiecto prospera et adversa praedicuntur, non idem sed diversum tempus spectatur. Sic Israelitis mox felicitas promittitur, mox calamitates, quae tamen non eodem tempore erant eventurae.

δ) Si aliquod vaticinium in s. Scriptura non refertur ut impletum, inde nondum concludere licet, vaticinium falsum fuisse, quia in Libris sacris non omnia facta narrantur.

ε) Imagines a prophetis adhibitae non sunt nimis premendae, sed principalis tantum significatio retinenda est. Solent enim prophetae

secundum affectus sui vehementiam etiam vehementes, audaciores adhibere imagines, quae non semper ad litteram exponendae sunt. Sic magnas rerum mutationes saepe terrae motu, siderum casu, solis et lunae obscuratione depingunt.

§ 43.

De contradictionibus inter s. Scripturam et scientias profanas.

Quemadmodum unius hagiographi sententia doctrinae alterius repugnare nequit, ita neque inter sententias s. Scripturae et ea, quae scientiae profanae ut certa docent, repugnantia vera existere potest. Doctrina haec in eo fundatur, quod utriusque veritatis, tum revelatae tum naturaliter notae, auctor est Deus, qui sibi contradicere nequit. Propterea summus Pontifex Leo XIII in suis encyclicis (Prov. Deus) docet: «Eruditi fideliter teneant, Deum, conditorem rectoremque rerum omnium, eumdem esse Scripturarum auctorem; nihil propterea ex rerum natura, nihil ex historiae monumentis colligi posse, quod cum Scripturis revera pugnet.» Et Concilium Vaticanum (Const. De fide catholica cap. 4) docet: «Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit, Deus autem negare seipsum non possit nec verum vero unquam contradicere».

Non licet igitur Scripturae inspirationem ad solas res fidei et morum restringere et in ceteris possibilitatem erroris admittere. «Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes, inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea, pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum cum agitur, non adeo exquirendum, quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur, quam ob causam ea dixerit. Etenim libri omnes atque integri, quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante, conscripti sunt; tantum vero abest, ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse .... Nihil admodum refert, Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi, non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent: secus non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae. Hoc ratum semper habuere ss. Patres: «Itaque, ait Augustinus, cum illi scripserunt, quae ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non

scripserit: quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt» (De Cons. Evang. l. 1. c. 35): pronunciatque S. Gregorius Magnus: «Quis haec scripserit, valde supervacanee quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit; ipse scripsit, qui et in illius opere inspirator extitit» (Praef. in Job. n. 2). Consequitur, ut qui in locis authenticis Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem».

Omnis igitur inter s. Scripturam et scientias profanas contradictio mere apparens dicenda est, atque interpretis munus est occasione data explicare, quomodo eiusmodi contradictio orta sit, quod ut melius perficiat, sequentia prae oculis habeat:

1) quantum ad *scientias naturales*

a) cavendum est, ne omnia, quae in libris de scientiis naturalibus agentibus circumferuntur, semper ut vera accipiamus. Multa enim ex iis, quae asseruntur, falsa sunt, alia non sunt nisi hypotheses, fundamentis interdum parum solidis superstructae, pauca autem ut veritas certissima admitti possunt. Inde deprehendimus ipsos homines doctos in huiusmodi rebus hodie respuere, quae heri admittebant, ita ut qui ex. gr. prima Geneseos capita exponeret suamque expositionem semper iis, quae naturalistae excogitarunt, accomodare vellet, saltem quotannis commentarium suum mutare deberet. Hinc illa aurea Leonis XIII verba: «Sane, quamquam ea, quae speculatores naturae certis argumentis certa iam esse affirmarint, interpres ostendere debet, nihil Scripturis recte explicatis obsistere, ipsum tamen ne fugiat, factum quandoque esse, ut certa quaedam ab illis tradita, postea in dubitationem adducta sint et repudiata» (Prov. Deus).

b) Caveat, ne s. Scripturae tribuat, quod ipsa non docet. «Plerumque, inquit s. Augustinus (De Genesi ad lit. 1, 19. 21), accidit, ut aliquid de terra, de caelo, de ceteris mundi huius elementis, de motu et conversione vel etiam magnitudine et intervallis siderum, de certis defectibus solis et lunae, de circuitibus annorum et temporum, de naturis animalium, fruticum, lapidum atque huiusmodi ceteris, etiam non Christianus ita noverit, ut certissima ratione vel experientia teneat. Turpe est autem nimis et perniciosum et maxime cavendum, ut christianum de his rebus quasi secundum christianas Litteras loquentem ita delirare quilibet infidelis audiat, ut, quemadmodum dicitur, toto caelo errare conspiciens risum tenere vix possit. Et non tam molestum est, quod errans homo deridetur, sed quod auctores nostri ab eis, qui foris sunt, talia sensisse creduntur et cum magno eorum exitio, de quorum salute satagimus, tanquam indocti reprehenduntur atque respuuntur. Cum enim quemquam de numero Christianorum in ea re, quam optime

norunt, errare deprehenderint et variam scientiam suam de nostris libris asserere: quo pacto illis libris credituri sunt de resurrectione mortuorum et de spe vitae aeternae regnoque caelorum, quando de his rebus, quas iam experiri vel indubitatis numeris percipere potuerunt, fallaciter putaverint esse conscriptos? Quid enim molestiae tristitiaeque ingerant prudentibus fratribus temerarii praesumptores, satis dici non potest, cum si quando de prava et falsa opinione sua reprehendi et convinci coeperint ab eis, qui nostrorum librorum auctoritate non tenentur, ad defendendum id, quod levissima temeritate et apertissima falsitate dixerunt, eosdem libros sanctos, unde id probent, proferre conantur vel etiam memoriter, quae ad testimonium valere arbitrantur, multa inde verba pronunciant, non intelligentes neque quae loquuntur neque de quibus affirmant.» [1])

c) Cum s. Scriptura non sit compendium scientiarum naturalium, adhibet usum loquendi popularem et poeticum, at non praecise scientificum. «Non legitur, dicit s. Augustinus (De Act. c. Fel. Man. I, 9, 10) in Evangelio Dominum dixisse: mitto vobis Paracletum, qui vos doceat de cursu solis et lunae. Christianos enim facere volebat, non mathematicos». Et Leo XIII nos monet, «scriptores sacros seu verius «Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profutura» (s. Aug. De Gen. ad lit. I, 9, 20); quare eos, potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone cum ea primo proprieque efferantur, quae cadant sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer (monuitque et Doctor Angelicus) «ea secutus est, quae sensibiliter apparent» (I. q. 70. a. 1 ad 3), seu quae Deus ipse, homines alloquens, ad eorum captum significavit humano more» (Prov. Deus). Propterea, si Moyses (Gen. 1, 16) solem et lunam luminaria magna vocat, non est tenendum, solem et lunam ad instar lampadum coelo affixas esse, et simul esse maxima sidera; loquitur enim humano more secundum ea, quae apparent. Similiter si dicitur (Jos. 10, 12)

---

[1]) Cf. etiam quae dicit s. Thomas: «Mihi videtur tutius esse, quae philosophi communiter senserunt et nostrae fidei non repugnant, nec sic esse asserenda ut dogmata fidei, etsi aliquando sub nomine philosophorum introducantur, nec sic esse neganda tamquam fidei contraria, ne sapientibus huius mundi occasio contemnendi doctrinam fidei praebeatur» (opusc. 10). «In huiusmodi quaestionibus duo sunt observanda. Primo quidem, ut veritas Scripturae inconcussa teneatur. Secundo, cum Scriptura divina multipliciter exponi possit, quod nulli expositioni aliquis ita praecise inhaereat, ut si certa ratione constiterit, hoc esse falsum, quod aliquis sensum Scripturae esse credebat, id nihilominus asserere praesumat, ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et ne eis via credendi praecludatur» (I. q. 68, a. 1).

Josue solem stare iussisse, non tenemur credere solem communiter moveri; auctor enim rem expressit modo populari, quem nunc quoque astronomiae professores non raro usurpant.

2. Idem fere dicendum est de contradictionibus inter s. Scripturam et *historiam.* «Dolendum enim, multos esse, qui antiquitatis monumenta, gentium mores et instituta similiumque rerum testimonia magnis ii quidem laboribus perscrutentur et proferant, sed eo saepius consilio, ut erroris labes in sacris Libris deprehendant, ex quo illorum auctoritas usquequaque infirmetur et nutet. Idque nonnulli et nimis infesto animo faciunt nec satis aequo iudicio, qui sic fidunt profanis libris et documentis memoriae priscae, perinde ut nulla eis ne suspicio quidem erroris possit subesse, libris vero Scripturae sacrae, ex opinata tantum erroris specie, neque ea probe discussa, vel parem abnuunt fidem. Fieri quidem potest, ut quaedam librariis in codicibus describendis minus recte exciderint, quod considerate iudicandum est nec facile admittendum, nisi quibus locis rite sit demonstratum. Fieri etiam potest, ut germana alicuius loci sententia permaneat anceps, cui enodandae multum afferent optimae interpretandi regulae» (Prov. Deus).

a) Hinc ex parte historiae sciat interpres

α) in libris historicis antiquorum interdum falsa referri aut quia de rebus scripserunt, quarum accuratam notitiam scriptores sibi non acquisiverunt, ut dicendum est praesertim de iis, quae de populi sui initiis composuerunt, aut quia interdum res veras omiserunt, imprimis ut populum suum et reges suos in meliorem lucem collocarent, quemadmodum Aegyptios et Assyrios aliquando fecisse constat.

β) Plura documenta antiqua, praecipue ea quae scriptura hieroglyphica et cuneiformi exarata sunt, nondum clare intelliguntur, quibusdam locis obscuris remanentibus. Inde fit, ut ea, quae prius in eis legebantur, nunc omnino respuantur atque novo modo explicentur.

b) Ex parte vero Scripturae sciendum est,

α) eam nolle historiam populorum neque populi israelitici plene docere neque chronologiam tradere, sed huiusmodi tantum per accidens tangit, prout librorum scopus, occasio aliaque ferebant adiuncta. Inde Deus permisit, ut in hisce accindentalibus temporis decursu plures errores scribarum in textum introducerentur.

β) Prae oculis habeat interpres, auctores sacros etiam historica narrantes modo populari loqui, id quod diserte exprimit s. Hieronymus: «Consuetudinis Scripturarum est, ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur» (in Matth. 14, 8) et «multa in Scripturis sacris dicuntur iuxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non iuxta quod rei veritas continebat» (in Jerem. 28, 10).

SECTIO III.

HEURISTICA CATHOLICA.

§ 44.

De interpretatione s. Scripturae authentica.

Hucusque eas regulas tradidimus, quarum ope privata Librorum sacrorum interpretatio rite instituitur; at praeter eam habetur expositio authentica, quae fit per Ecclesiam, cui Deus s. Scripturam custodiendam et exponendam commisit.

1. Concilium Tridentinum (sess. 4) sequens decretum tulit: «Praeterea (sacrosancta Synodus) ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent.» — Et quia serius de decreti huius sensu dubia exorta sunt, Concilium Vaticanum (sess. 3. c. 2) ipsum declaravit: «Quoniam vero, quae sancta Tridentina synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem decretum innovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari».

Decretum hoc dogmaticum et positivum indicat, sensum Ecclesiae etiam in determinatis locis amplectendum esse, et verba «in rebus fidei

et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium» non sunt exclusiva i. e. non conceditur libertas absoluta exponendi in rebu historicis et physicis, quia etiam in his rebus interpretationes, quae dogma inspirationis Librorum sacrorum offendunt, ad res fidei spectant, de quibus iudicandi ius Ecclesiae competit. Patet id ex Actis concilii Vaticani. Propositum enim fuit, ut verba supra citata omitterentur et quidem ob rationem sequentem: «Si in rebus fidei et morum tantum Scriptura accipi deberet iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet Ecclesia, in reliquis, puta historicis aliisque, libera cuique daretur ansa sanctissimum Dei verbum pro effraeni lubitu explicandi, hac praesertim tempestate, in qua mythici, rationalistae sexcentique errones totam ferme Scripturam ad fabulas amandant.» Sed exceptioni huic Deputatio fidei reposuit: «Concedo, quod Ecclesia ius habet non solummodo iudicandi de vero sensu in rebus fidei, i. e. in dogmatibus, ut ita dicam, speculativis et in rebus, quae ad mores spectant; sed etiam in rebus, quae ad historicam veritatem etc. pertinent. Inde vero non sequitur, quod iuxta auctorem reverendissimum huius exceptionis sequi deberet. Nam quod attinet istas interpretationes aut non sunt contra dogma inspirationis sacrae Scripturae et singularum partium, aut sunt contra hoc dogma. In casu priori utique libere de iis interpretationibus potest disputari; in casu posteriori si talis interpretatio veritatis historicae offenderet dogma inspirationis, iam utique spectat ad res fidei, et proinde certe Ecclesia hac de re iudicandi ius habet».

2. Fundamenta huius expositionis authenticae sunt:

a) *Infallibilis Ecclesiae auctoritas.* In theologia dogmatica probatur, Deum depositum revelationis Ecclesiae commisisse. Cum autem maxima illius revelationis pars in s. Scriptura contineatur, in aperto est, Ecclesiam nos docere non solum, quinam libri inspirati sint, sed etiam quomodo eorum sensus eruatur. Cum autem Ecclesia sola infallibili docendi auctoritate gaudeat, ea sola etiam s. Scripturam authentice potest interpretari.

b) *Indoles s. Scripturae.* Libri sacri non raro obscuri sunt, ut praeter ea, quae paragrapho 3. diximus, ex verbis ipsius Scripturae et ex factis patet. S. Petrus scribit, in s. Pauli epistolis esse «quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem» (2. Petr. 3, 16). De Apostolis narratur, eos nonnisi Christo interprete Scripturas intellexisse: «Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas» (Luc. 24, 45). Et vir aethiops testatur (Act. 8, 30 s.), se non intelligere textum a se lectum.

Idem probant facta; etenim interpretes, qui Ecclesiae auctoritatem in exponenda s. Scriptura non admittunt, sectas et haereses multas genuerunt, ita ut verum esset illud Petri Werenfels, haeritici, de haereticis:

Hic liber est, in quo quaerit sua dogmata quisque,
Invenit et pariter dogmata quisque sua.

« Quamobrem diffitendum non est, ait Leo XIII (Prov. Deus) religiosa quadam obscuritate sacros Libros involvi, ut ad eos, nisi aliquo viae duce, nemo ingredi possit: Deo quidem sic providente (quae vulgata est opinio ss. Patrum), ut homines maiore cum desiderio et studio illos perscrutarentur resque inde operose perceptas mentibus animisque altius infigerent intelligerentque praecipue, Scripturas Deum tradidisse Ecclesiae, qua scilicet duce et magistra in legendis tractandisque eloquiis suis certissima uteretur. Ubi enim charismata Domini posita sint, ibi discendam esse veritatem, atque ab illis, apud quos sit successio apostolica, Scripturas nullo cum periculo exponi, iam sanctus docuit Irenaeus (c. Haer. 4, 26, 5)».

c) *Traditio.* Ss. Patribus solemne erat, in expositione s. Scripturae Ecclesiae sensum sequi. *Clemens, Alex.* (l. VI Strom.) tangit obscuritates, quae in prophetarum libris et Christi sermonibus inveniuntur, atque adiicit Scripturam sine erroris periculo ab iis intelligi, «qui ab ipso (Christo) declaratam Scripturarum expositionem ex Ecclesiastica regula retinentes conservant.» *Tertullianus* scribit (lib. Praescript. c. 19): « Illic esse veritatem Scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum, ubi apparuerit esse veritatem disciplinae et fidei christianae.» S. *Augustinus* (in Joan. tract. 18, 1): «Neque natae sunt haereses, . . . nisi dum Scripturae bonae intelligantur non bene . . . Itaque carissimi . . . hanc tenentes regulam sanitatis, ut quod *secundum fidem,* qua imbuti sumus, intelligere valuerimus, tanquam de cibo gaudeamus.» At fides iuxta s. Augustinum Ecclesiae auctoritate definitur. Et (De Doctr. Christ. l. 3. c. 2), de obscuris et ambiguis s. Scripturae textibus loquens ait: « Cum ergo adhibita intentio incertum esse perviderit, quomodo distinguendum aut quomodo pronunciandum sit, consulat regulam fidei, quam de Scripturarum plenioribus locis et Ecclesiae auctoritate percepit.» Pulcherrima sunt *Vincentii Lerinensis* verba (Commonit. 2), quibus Patrum hac de re doctrinam resumit: « Hic forsan requirit aliquis: cum sit perfectus Scripturarum canon sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est, ut ei ecclesiasticae intellegentiae iungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut paene quot homines sunt, tot illius sententiae erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius . . . aliter postremo Nestorius. Atque idcirco multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur ».

Obi. 1. Verbum Dei clarum est, nulla indigens interpretatione;

atqui s. Scriptura est verbum Dei. Ergo non requiritur Ecclesiae auctoritas ad illud interpretandum.

Resp. Concedimus verbum Dei in se clarum esse, at negamus illud semper clarum esse quantum ad nos, prout supra ostendimus.

Obi. 2. Admissa eiusmodi expositione Scripturarum authentica, studia biblica iacent.

Resp. Negamus simpliciter. Interpres enim potest illos textus exponere, quos Ecclesia nondum exposuit, et quos iam interpretata est, exegeta illustrare potest et veram expositionem contra alias defendere. Ecclesia hoc modo interpretem ducit, ne in errores incidat, sicut pharus nautae scopulos ostendit veramque monstrat viam. Propterea etiam Ecclesia quolibet tempore studia biblica promovere curabat. Recte igitur habetur in encycl. «Prov. Deus»: «Qua plena sapientiae lege nequaquam Ecclesia pervestigationem scientiae biblicae retardat aut coercet, sed eam potius ab errore integram praestat plurimumque ad veram adiuvat progressionem. Nam private cuique doctori magnus patet campus, in quo, tutis vestigiis, sua interpretandi industria praeclare certet Ecclesiaeque utiliter. In locis quidem divinae Scripturae, qui expositionem certam et definitam adhuc desiderant, effici ita potest, ex suavi Dei providentis consilio, ut, quasi praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturetur; in locis vero iam definitis potest privatus doctor aeque prodesse, si eos vel enucleatius apud fidelium plebem et ingeniosius apud doctos edisserat vel insignius evincat ab adversariis. Quapropter praecipuum sanctumque sit catholico interpreti, ut illa Scripturae testimonia, quorum sensus authentice declaratus est, aut per sacros auctores, Spiritu sancto afflante, uti multis in locis Novi Testamenti, aut per Ecclesiam, eodem sancto adsistente Spiritu, sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio (Conc. Vatic. sess 3. c. 3 de fide), eadem ipse ratione interpretetur atque ex adiumentis disciplinae suae convincat, eam solam interpretationem, ad sanae hermeneuticae leges, posse recte probari.»

CAPUT XI.

DE REGULIS INTERPRETATIONIS CATHOLICAE AB INTERPRETE OBSERVANDIS.

§ 45.

Interpres tenetur sensum ab Ecclesia authentice expositum amplecti et tueri.

1. Regula haec sponte fluit ex immediate antea dictis. Inde sensum a Summis Pontificibus vel conciliis oecumenicis sive directe sive indirecte definitum admittere et defendere obligamur.

2. *Exempla* definitionis directae praebent Conciliorum Tridentini et Vaticani decreta. Sic Tridentinum (sess. 5. c. 2. 4) definivit, Apostolum Rom. 5, 12 de peccato originali loqui, Joan. 3, 5 necessitatem baptismi doceri, et aquam veram, naturalem esse de necessitate baptismi (Sess, 5. c. 4 et Sess. 7. De bapt. c. 2), verba quibus ss. Eucharistiae Sacramentum institutum est (Matth. 26, 26 s., Marc. 14, 22 ss., Luc. 22, 19 s.; 1. Cor. 11, 24 s.) in sensu proprio et non translato intelligenda esse (Sess. 13. c. 1) etc. Concilium Vaticanum (Const. de Eccl. c. 1.) definivit Matth. 16, 16 ss. et Joan. 21, 15 ss. exponenda esse de primatu iurisdictionis in universam Ecclesiam B. Petro directe et immediate collato. Expositionis indirectae exemplum habetur ex. gr. in Conc. V. Constantinopolitano, quod Theodori Mopsuesteni plurium textuum expositiones damnat et hoc modo interpreti viam rectam indicat.

3. *Cautela.* Caveat interpres ne species sensuum ab Ecclesia definitorum confundat, quoniam interdum substantia sensus definitur non eius qualitas. Sic definitum est, Is. 7, 14 «virgine» intelligendam esse B. Virginem, at non est determinatum, utrum in sensu litterali an typico.

§ 46.

Sensum a ss. Patribus traditum interpres amplecti et tueri tenetur.

1. Secunda regula, quae ex Conciliorum Tridentini et Vaticani decreto sponte sua fluit, respicit Patrum auctoritatem in s. Scriptura exponenda; sc. in rebus fidei et morum a sensu, quem ss. Patres tradiderunt, recedere non licet.

2. Probatur. a) Ss. Patres sensu proprio vocantur illi scriptores ecclesiastici, qui doctrina orthodoxa, sanctimonia, antiquitate notabiles, ab Eccelsia approbati sunt. Si igitur ss. Patres, cum in rebus fidei et morum consentiunt, errarent, error in ipsam Ecclesiam infallibilem recideret, quod nullo modo admitti potest.

b) Idem confirmatur constanti Ecclesiae testimonio. Scribit ex. gr. *Origenes* (Tract. 29 in Matth.), s. Scripturam non aliter exponendam esse, «nisi quemadmodum per successionem Ecclesiae tradiderunt nobis», et *Clemens Alex.* (Strom. l. 7) asserit «illos, qui adversus ecclesiasticam traditionem Scripturas interpretantur, regulam veritatis amisisse». S. *Augustinus* (c. Julian. 2, 9) scribit: «Quod invenerunt (Patres) in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.» *Concilium Trullanum* (c. 19) iam diu ante Tridentinum definierat: «si ad Scripturam pertinens controversia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quam quomodo Ecclesiae luminaria et doctores suis scriptis exposuerunt.» In *Concilio Viennensi* sensus verborum Joan. 19, 33 s. hoc modo declaratus est: «Nos ad sanctorum Patrum et Doctorum communem sententiam apostolicae considerationis aciem convertentes, declaramus etc.» *Concilium Lateranense V* (sess. 11) statuit: «Mandamus omnibus (Evangelii praedicatoribus), ut sacram Scripturam iuxta interpretationem Doctorum, quos Ecclesia vel usus approbavit . . ., explanent.»

Obi. 1. Admissa ss. Patrum auctoritate, interpretum libertas laeditur.

Resp. Libertatem falsam hoc modo laedi, concedimus, at negamus Patrum auctoritatem libertati verae obstare, cum haec nullo modo in eo constet, ut homini quodcunque, sive verum sive falsum, cogitare et loqui liceat.

Obi. 2. Christo Domino obedientiam praestare debemus; atqui Christus per s. Scripturam nos docet: ergo Patrum auctoritas est reiicienda.

Resp. Obediendum est Christo et Ecclesiae rectoribus, quibus Servator tamquam ministris utitur; unanimis autem Patrum consensus exprimit doctrinam Ecclesiae, i. e. Christi per Ecclesiam loquentis.

3. *Cautelae* a) Doctrinam Patrum tenere obligamur in rebus *fidei et morum;* quapropter in enc. «Prov. Deus» legtur: «Quod vero defensio Scripturae sanctae agenda strenue est, non ex eo omnes aeque sententiae tuendae sunt, quas singuli Patres aut qui deinceps interpretes in eadem declaranda ediderint: qui, prout erant opiniones aetatis, in locis edisserendis, ubi physica aguntur, fortasse non ita semper iudicaverunt ex veritate, ut quaedam posuerint, quae nunc minus probentur. Quocirca studiose dignoscendum in illorum interpretationibus, quaenam reapse tradant tamquam spectantia ad fidem aut cum ea maxime

copulata, quaenam unanimi tradant consensu; namque in his, quae de necessitate fidei non sunt, licuit Sanctis diversimode opinari, sicut et nobis', ut est s. Thomae sententia (in Sent. 2. dist. q. 1. a. 3).»

b) Praeterea requiritur Patrum *consensus unanimis* non quidem physice seu mathematice, sed moraliter et relative, qualis adesse censetur, cum Patres diversarum nationum eminentissimi eiusdem sunt opinionis aut si longe plures consentiunt et alii silent.

c) Consensus requisitus non adest, quando Patres sensum alicuius textus solum per modum coniecturae aut opinionis proponunt, quin asserant, locum illum hoc vel illo modo intelligendum esse. Potest etiam fieri, ut Patres in aliquo sensu reiiciendo consentiant, at non sint eiusdem sententiae in vero sensu adstruendo.

4. *Quaeres,* undenam Patrum consensus unanimis sit hauriendus?

Resp., eum hauriendum esse ex eorum scriptis praesertim iis exegeticis, ubi sensum litteralem investigant, atque ex eorum operibus dogmaticis et polemicis. Meminerit tamen interpres etiam illius moniti Leonis XIII: «Caveat idem (i. e. interpres), ne illa negligat, quae ab eisdem Patribus ad allegoricam similemve sententiam translata sunt, maxime cum ex litterali descendant et multorum auctoritate fulciantur. Talem enim interpretandi rationem ab Apostolis Ecclesia accepit, suoque ipsa exemplo, ut e re patet liturgica, comprobavit, non quod Patres ex ea contenderent dogmata fidei per se demonstrare, sed quia bene frugiferam virtuti et pietati alendae nossent experti» (Prov. Deus).

5. *Quaeres,* num Patrum auctoritatem interpreti etiam adversus acatholicos allegare liceat?

Resp. Omnino licet, tum quia Patres Apostolorum coetui propiores multa ab eis tenent, tum quia scientia praeclara excelluerunt atque usum loquendi biblicum aliaque interpreti necessaria omnino nota habuerunt, tum etiam, quia acatholici saepe saltem ad suorum patrum auctoritatem provocant et interdum — cum res eis favere videtur — etiam Ecclesiae Patrum testimonia contra nos proferunt.

§ 47.

S. Scriptura iuxta fidei analogiam exponenda est.

1. «In ceteris analogia fidei sequenda est et doctrina catholica, qualis ex auctoritate Ecclesiae accepta, tamquam summa norma est adhibenda; nam, cum et sacrorum Librorum et doctrinae apud Ecclesiam depositae idem sit auctor, Deus, profecto fieri nequit, ut sensus ex illis, qui ab hac quoquo modo discrepet, legitima interpretatione eruatur. Ex quo apparet, eam interpretationem ut ineptam et falsam reiiciendam, quae vel inspiratos auctores inter se quodammodo pugnantes faciat vel

doctrinae Ecclesiae adversetur» (Prov. Deus). Qua de causa summus Pontifex iure meritoque inculcat, ut interpres «omnem theologiam egregie teneat».

2. Analogiae fidei in interpretationem s. Scripturae duplex est influxus: alter *negativus*, alter *positivus*. Influxus negativus adest, inquantum s. Scripturae nullus sensus est supponendus, qui fidei analogiae repugnet; influxus autem positivus hoc involvit, ut textus aliquam doctrinam continens iuxta eandem doctrinam, prout fide tenetur, explicetur.

a) *Influxus negativus* analogiae fidei fundatur in veritate illa certissima, eundem s. Scripturae auctorem etiam Ecclesiae assistere, ne aliquid falsi doceat. Si igitur Ecclesia aliquid docet ut credendum, s. Scriptura nequit contrarium asserere.

Verum hic notanda est *cautela:* etsi sensus analogiae fidei repugnans falsus sit, tamen non licet asserere, eum sensum, qui analogiae fidei conformis est, semper verum esse i. e. eum in certo textu inveniri; plures enim sensus possunt analogiae fidei conformes esse.

b) *Influxus positivus* analogiae fidei in s. Scripturae interpretationem duobus sequentibus innititur principiis:

α) Obscurum e clariori interpretandum est. — Sacram Scripturam multis in locis obscuram esse, constat; quapropter primi nominis exegetae quorundam locorum sensum aut nullo modo percipiunt aut solas coniecturas statuunt. Ex altera vero parte certum est, fidei analogiam ea gaudere claritate et firmitate, ut dogma propositum homini, facile ab eo intelligatur, prout sc. ab homine intelligi potest. Hinc ex clara fidei doctrina eadem doctrina s. Scripturae illustratur, ut ex. gr. ea, quae de divina et de humana Christi natura in Scripturis sibi specie contradicentia asseruntur, ex Ecclesiae fide clarescunt, quae clare duas in Christo naturas asserit in una persona coniunctas.

β) Pars illustratur toto. — Doctrinae revelatae non nisi pars invenitur deposita in s. Scriptura, tota autem in Ecclesiae traditione et vivo eius magisterio; hinc e plena Ecclesiae doctrina s. Scripturae lux affunditur, ut in iis, quae de ligandi et solvendi potestate alibi omnibus Apostolis, alibi soli Petro dicta sunt.

Hoc principium autem non ita intelligendum est, quasi in correspondente s. Scripturae textu semper tota Ecclesiae de illa re doctrina reperiatur; saepe enim sola pars in textu exponendo continetur, et qui tali textui totam doctrinam supponeret, sensum inferret. Hagiographi enim non ut scholastici modo systematico doctrinam suam in uno loco plene exposuerunt, sed hanc vel illam doctrinae partem solum tetigerunt, prout adiuncta exigebant.

§ 48.

De interpretum catholicorum auctoritate.

1. Quartum, quod interpres catholicus observare debet, est exegetarum catholicorum, qui post Patres floruerunt, auctoritas maxima, ita ut temerarium sit ab eis recedere, cum omnes in exponendo textu dogmatico consentiunt.

2. Probatur. a) Magis credendum est in propria arte homini, qui eam profitetur et ex professo tractat, quam alteri, qui id minime ex professo facit. «Nec enim sanus haberetur, qui nautis in navigandi ratione non crederet» (Melchior Canus, De locis theol. l. 8 c. 4).

b) Ecclesia in exponenda s. Scriptura errare non potest. Atqui consensio omnium interpretum catholicorum in re, de qua quaerimus, mentem Ecclesiae exprimit; «nec ipsi, ait Joannes a S. Thoma (Cursus theol. q. 1. disp. 2. a. 12. n. 9.), sic concordant, nisi quia Ecclesia virtualiter ita approbat vel definivit, vel e Scriptura deducitur.»

Hinc pulchre Leo XIII: «Ceterorum interpretum catholicorum est minor quidem auctoritas, attamen, quoniam Bibliorum studia continuum quemdam progressum in Ecclesia habuerunt, istorum pariter commentariis suus tribuendus est honor, ex quibus multa opportune peti liceat ad refellenda contraria, ad difficiliora enodanda. At vero id nimium dedecet, ut quis, egregiis operibus, quae nostri abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, heterodoxorum libros praeoptet, ab eisque cum praesenti sanae doctrinae periculo et non raro cum detrimento fidei, explicationem locorum quaerat, in quibus catholici ingenia et labores suos iamdudum optimeque collocarint. Licet enim heterodoxorum studiis, prudenter adhibitis, iuvari interdum possit interpres catholicus, meminerit tamen, ex crebris quoque veterum documentis, incorruptum sacrarum Litterarum sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri neque ab eis tradi posse, qui, verae fidei expertes, Scripturae non medullam attingunt, sed corticem rodunt» (Prov. Deus).

3. Singulorum interpretum auctoritas maior est vel minor iuxta quod magis vel minus mentis dotibus et animi virtutibus, quae ad s. Scripturae interpretationem requiruntur, exornati sunt.

a) Sunt autem ea, quae ex parte *mentis* requiruntur:

α) ingenium exegeticum seu facilitas quaedam alterius cogitationes cognoscendi et diversas de textu aliquo emissas hypotheses et expositiones colligendi;

β) iudicium exegeticum seu facultas quaedam, cuius ope interpres expositiones varias rite diiudicat atque aestimat et cuiuslibet argumenti vim accurate perpendit:

γ) perfecta theologiae cognitio atque scientiarum biblico-isagogicarum.

b) *Virtutes* animi, quibus interpres praeditus sit oportet, praesertim hae sunt: amor s. Scripturae, amor veritatis, humilitas laborque continuus.

4. Interpretes protestantici, cum s. Scripturae expositionem dogmaticam negligant, hac ex parte consulendi non sunt; quoniam autem cetera plenius et accuratius evolvunt, scriptis suis exegeticis interpreti catholico interdum prodesse possunt, id quod bene noverat s. Augustinus monens nos, ut etiam haereticorum et ethnicorum scriptis ad ss. Litteras illustrandas utamur: «Philosophi autem, qui vocantur, si qua forte vera et fidei nostrae accomodata dixerunt, . . . non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tamquam iniustis possessoribus in usum nostrum vindicanda» (De Doctr. christ. l. 2 c. 40) et: «Neque enim et litteras discere non debuimus, quia eorum repertorem dicunt esse Mercurium, aut quia iustitiae virtutique templa dedicarunt et, quae corde gestanda sunt, in lapidibus adorare maluerunt, propterea nobis iustitia virtusque fugienda est; immo vero, quisquis bonus verusque christianus est, Domini sui esse intelligat, ubicumque invenerit, veritatem. Quam confitens et agnoscens, etiam in Litteris sacris superstitiosa figmenta repudiet doleatque homines atque caveat, qui cognoscentes Deum, non ut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est cor insipiens eorum, dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt» (ib. c. 18).

CAPUT XII.

DE QUIBUSDAM FALSIS S. SCRIPTURAM INTERPRETANDI PRINCIPIIS.

§ 49.

Systema luminis interni.

Pietistae et Quakeriani statuerunt, christianum s. Scripturam legentem nullis indigere regulis ad Verbi divini interpretationem, cum quilibet immediate a Spiritu sancto illuminetur et sensus s. Scripturae legenti ita reveletur.

Systema hoc reiiciendum est, quia

1. nullo argumento solido fundatur, sed falsis quorundam textuum s. Scripturae interpretationibus. Sic abutuntur Joannis 1, 9, ubi dicitur Verbum illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum. Jamvero non attendunt ad hoc, quod Verbum potest illuminare interne per gratiam et etiam externe per Ecclesiae praedicationem et doctrinam. Idem Verbum, quod in loco allegato omnem hominem illuminare dicitur, iuxta eandem s. Scripturam (Ephes. 4, 11) «dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi».

2. Contradicunt facta. Cum unus sit tantum Spiritus illuminans, expositiones eiusdem textus contradictoriae essent impossibiles. Sed notum est, non solum apud alios christianos, sed apud ipsos huius systematis fautores, s. Scripturam non solum diversam sed et contradictoriam expositionem nactam esse.

§ 50.

Systema accommodationis.

1. Rationalismus biblicus, qui a medio saeculo 18. apud Protestantes florere coepit, nova systemata hermeneutica introduxit, quorum principalia sunt: systema accommodationis, systema morale, psychologi-

cum, mythicum. «Ut antea cum iis praecipue res fuit, qui privato iudicio freti, divinis traditionibus et magisterio Ecclesiae repudiatis, Scripturam statuerant unicum revelationis fontem supremumque iudicem fidei; ita nunc est cum rationalistis, qui eorum quasi filii et heredes, item sententia innixi sua, vel has ipsas a patribus acceptas christianae fidei reliquias prorsus abiecerunt. Divinam enim vel revelationem vel inspirationem vel Scripturam sacram omnino ullam negant neque alia prorsus ea esse dictitant, nisi hominum artificia et commenta: illas nimirum, non veras gestarum rerum narrationes, sed aut ineptas fabulas aut historias mendaces; ea, non vaticinia et oracula, sed aut confictas post eventus praedictiones aut ex naturali vi praesensiones; ea, non veri nominis miracula virtutisque divinae ostenta, sed admirabilia quaedam, nequaquam naturae viribus maiora aut praestigias et mythos quosdam: evangelia et scripta apostolica aliis plane auctoribus tribuenda» (Prov. Deus).

2. *Systematis accommodationis* auctor fuit *Joan. Salom. Semler* († 1791). Hic primum plures libros sacros e canone eiecit asserens, eos ab ipsis Judaeis tanquam profanos habitos fuisse, qua ratione praesertim Antiqui Testamenti libris quam plurimis characterem divinum denegavit. Accedens deinde ad Novum Testamentum, plura in eo rationi repugnare deprehendit, at non vult Jesum aperte impugnare, ne lectores suos offendat. Excogitavit igitur suum systema accommodationis, iuxta quod Christus Dominus et Apostoli erroribus Judaeorum se conformassent, id quod tanquam impium et blasphemum reiiciendum est.

3. Accommodatio alia est *moralis,* alia *paedagogica,* alia *negative dogmatica,* alia *positive dogmatica.*

a) Accommodatio *moralis* dicitur positio actionis non praescriptae aut omissio actionis in se licitae, propter alterius conscientiam, qui exinde fortasse offenderetur.

b) Accommodatio *paedagogica* adest, cum quis ita doctrinam suam auditorum captui attemperat, ut ab eis intelligatur, aut cum eam omnino praetermittit, si ab auditoribus non intelligeretur.

c) Accommodatio *negative dogmatica* locum habet, quando docens auditorum errores a se cognitos non statim reiicit, sed id ad tempus conveniens remittit aut nonnisi indirecte errores refutat.

d) Accommodatio *positive dogmatica* adest, ubi quis aliorum errores, etsi eos fortasse apud se reprobet, aperte docet et ita externe approbat.

Concedimus quidem, Christum Dominum et Apostolos primis tribus accommodationis speciebus usos esse. Sic Jesus a conversatione cum gentilibus abstinuit, ne Judaeos a se averteret, qui erronee credebant, Messiam ad se solos mittendum esse, et s. Paulus, ne Judaeos offenderet, plures legis antiquae observantias servavit. Accommodationis paedago-

gicae multa habentur testimonia, ut illud quod a Christo Domino Apostolis dictum est (Joan. 16, 12): «Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.» Et illud Apostoli (1. Cor. 3, 1. s.): «Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.» Etiam accommodationis negative dogmaticae exempla referri possunt; sic notum est, Christum a pluribus pro Elia aut Jeremia aut aliquo ex prophetis habitum fuisse, ipsum autem nullibi hunc errorem directe refutasse, quia sufficiebat ei asserere, se esse Messiam, unde illae opiniones ut inanes corruebant.

At accommodationem positive dogmaticam, ita ut Christus erroribus Judaeorum se accommodasset eosque docuisset, admittere non licet, quoniam hoc repugnat

a) sanctitati Christi Domini et intentioni eius; venit enim in mundum, ipso id asserente, ut testimonium perhiberet veritati (Joan. 18, 37), non ut mendacia doceret.

b) Repugnat hoc etiam modo docendi et agendi Christi atque Apostolorum. Christus Dominus (Matth. 15, 12 s.) clare dixit, «omnem plantam esse eradicandam, quam Pater non plantavit», idque ea occasione asseruit, quando audivit pharisaeos sermonibus eius graviter offensos esse, eo quod traditiones eorum reiiceret. Joan. c. 5 et 10 sermonibus de sua dignitate Judaeis ita displicuit, ut eum ad lapidandum quaererent; et Matth. (16, 63 s) coram summo Tribunali asseruit, se verum esse Messiam, filium Dei, ob quae ad crucem condemnatus fuit. Similis erat Apostolorum modus agendi. S. Paulus (Gal. 1, 8) anathema dicit omnibus, qui aliter quam ipse evangelizarent, etiamsi angelus de coelo esset, et ib. v. 10. dicit non esse Christi legatum, qui in tradendo Evangelio hominum auribus serviret. S. Joannes (20, 31) asseruit, se suum Evangelium eum in finem composuisse, ut ostenderet Jesum esse Messiam et filium Dei etc. Porro, ad Christi exemplum, persecutionem et mortem passi sunt, ob suam doctrinam, quod locum non habuisset, si Judaeorum errores docuissent.

§ 51.

Systema interpretationis moralis.

Auctor huius systematis fuit *Imman. Kant* († 1804), cum Semlero in eo conveniens, s. Scripturam a sola ratione interpretandam esse. Iuxta eum sola praecepta moralia religionis essentiam constituunt et dogmata non sunt admittenda, nisi ut inserviunt ad virtutem promovendam. Revelationem nullam dari asserit, omnesque religiones revelatae non sunt ei nisi figmenta, non utilia nisi inquantum cum ratione conveniant. S. Scripturam igitur homo interpretaturus nihil in ea

quaerat, quam principia rationis purae. Miracula, prophetiae, ipsa historia sacra nullius sunt valoris, et ita in exponenda s. Scriptura etiam contextus negligatur, ut interpres ad scopum illum perveniat. [1])

Non est nostrum, omnes Kantii errores refellere; philosophi enim atque apologetae christiani id saepe iam fecerunt.. Sufficiat dicere, systema Kantii hermeneuticum esse omnino absurdum, cum non doceat, quomodo sensus verus s. Scripturae eruatur, sed potius quomodo falsus inferatur.

§ 52.

Systema interpretationis psychologicae.

Auctor huius systematis *H. E. G. Paulus* († 1851), professor Heidelbergensis, cum Kantio in eo convenit, religionem solis praeceptis moralibus constare, at non reiicit integram historiam, sed eam solum suo modo explicat. Opinatur igitur, miracula utpote impossibilia esse removenda et doctrinas supernaturales naturali modo explicandas ope methodi cuiusdam notiologico-philologicae vel psychologicae in eo consistentis, ut facta in Scriptura narrata ab iudicio quod spectatores de eis ferebant, distinguantur, id quod ab ipsis Hagiographis omissum sit. Ubi igitur aliquod miraculum narratur, bene considerandae sunt personae, tempus, locus aliaque adiuncta, et facile detegetur, quasdam circumstantias fuisse omissas, unde factum mere naturale characterem supernaturalem praeseferat. Quapropter illae circumstantiae ab interprete apponendae sunt, ut rem, quomodo evenerit, cognoscat. Ipse suum systema exemplis illustrat. Sic narrat Scriptura, Christum Dominum quinque panibus quinque hominum millia saturasse; at hoc doctor rationalista impossibile credit. Quid ergo facit? Supponit Christum et Apostolos quidem solum quinque panes dedisse, at alios horum exemplo motos, liberalitate sua etiam contribuisse et ceteros panes necessarios dedisse. Si s. Petrus dicitur statere in ore piscis invento tributum solvisse, hoc ita intelligendum esse arbitratur: S. Petrus piscem a se captum vendidit atque pretio acquisito tributum solvit.

Systema hoc impium est absolute falsum; etenim

a) falsis hypothesibus innititur, ut: religionem non constare nisi praeceptis moralibus, res supernaturales impossibiles esse etc.

b) Non docet, quomodo sensus s. Scripturae eruatur, sed qua ratione pervertatur atque falsus inferatur.

---

[1]) Cf. Kant, Die Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft. Königsberg 1793.

§ 53.

Systema interpretationis mythicae.

1. Eodem tempore, quo systemata praedicta a quibusdam excogitata ab aliis non paucis admittebantur, natum est systema aliud, *mythicum* dictum, quod rationalistis nunc praeplacet, quia ope eius ad finem suum perveniunt, i. e. argumentum s. Scripturae destruunt, quin tam apertas, sicut praedecessores, sacrarum Litterarum mutilationes committant.

Praevaluit saeculo praecedenti apud doctos nonnullos usus, mythos et fabulas antiquorum philosophice explicandi, ita ut historiam a philosophica veritate distinguerent, illam semper aut saltem saepe fictam dicentes, hanc autem a cortice seu involucro dividentes. Methodum hanc etiam s. Scripturae applicarunt. Primus qui id fecit, videtur fuisse *S. Semler,* qui aliquas narrationes, ut illam de Samsone, de Esther, mythos appellavit. *J. G Eichhorn* († 1827) prima Geneseos capita mythis adnumeravit, *J. Sev. Vater* († 1826) mythos ad totum Pentateuchum extendit, demum *L. de Wette* († 1849) aliique in toto Antiquo Testamento mythos admiserunt. Distinxerunt autem plures mythorum species: mythos philosophicos, historicos, poeticos, mixtos. *Philosophicos* appellarunt illos mythos, qui sub involucro portentoso veritates philosophicas continent; *historicos,* qui sub involucro miraculoso rem vere gestam referunt; *poeticis* illos adscripserunt, qui aut unice aut saltem magna ex parte formis et figmentis poeticis constant; illos vero, qui e duobus prioribus aut etiam ex omnibus tribus praecedentibus aliquid tenent, *mixtos* vocarunt.

Ulterius, quam praedicti, processit *David Fr. Strauss* († 1875), systema mythicum in sua «Vita Jesu»[1]) etiam ad Evangelia extendens. Jesus Christus est ei merus homo iudaeus, qui a quodam Joanne baptizatus, totam Palaestinam cum discipulis suis peragravit, homines ad regnum messianicum invitans. Cum autem Pharisaeorum doctrinam impugnaret, ab eis crucifixus est. Cetera omnia in Evangeliis de Christo Domino narrata figmenta Judaeorum dicit, meros mythos, saeculo 2. in hodiernam formam redactos. In idem tempus *Ferd. Christ. Baur* († 1860), professor Tubingensis et scholae sic dictae *Neo-Tubingensis* fundator, reiicit reliquos Novi Testamenti libros. Strauss principalem discipulum invenit in *Ern. Renan* († 1892), qui tamen systema magistri sui aliquantulum mitigavit atque magis poetice exornavit. [2])

2. Systema interpretationis mythicae falsum est, falsis innitens hypothesibus:

a) Prima eorum hypothesis est, miracula et vaticinia esse impossibilia, id quod tamen probare nequeunt, sed gratis supponunt.

---

[1]) Strauss: Leben Jesu. Tübingen 1836.

[2]) E. Renan: Origines du Christianisme. I. Vie de Jésus. Paris 1863.

b) Altera hypothesis, qua eorum systema innititur, est negatio authentiae Librorum sacrorum, quod nullo argumento solido probant, sed solis coniecturis quibusdam evanidis.

c) Tertia eorum hypothesis est analogia historiae sacrae cum profana. Hac in re etiam multum aberrant a veritate; nam ex analogia illa ad summum sequeretur, in s. Scriptura mythos dari *posse*; at est contra logicae regulas a mera possibilitate ad existentiam concludere.

Verum negandum est, illam analogiam adesse. α) Quod enim ad Antiquum Testamentum spectat, hoc omnino differt suo argumento suaque forma ab illis narrationibus populorum ethnicorum. Quae in s. Scriptura narratur, characterem divinum, notam veritatis impressam habent, cum e contra ethnicorum mythi risum movent, non solum nobis sed ipsis gentilibus. Praeterea libri illi continent res illius temporis, quo Judaei iam suos historiographos habuerunt, sed apud Graecos, Romanos aliosque populos mythorum formatio cessavit, ex quo historiographi apparuerunt. Difficultas remanet solum circa prima Geneseos capita, cum ea res referant ab historiographo tempore multum distantes. Verum haec etiam differunt suo argumento et forma ab illis narrationibus mythicis, quas diversi populi de mundi suaque propria origine excogitaverunt. [1])

β) Quae de Antiquo Testamento asseruimus, vel magis valent de Novo, quod tempore vere historico ortum est, tempore eo, quo ipsi rationalistae Judaeis scriptores denegare non possunt. Quomodo ergo locum habuit illa mythorum efformatio? At respondent, libros Novi Testamenti saeculo 2. ortos esse. Verum etsi hoc concederemus, mythorum origo non explicaretur. Ipsis rationalistis testibus enim Christus discipulos habuit, qui audita et visa praedicarunt Ecclesiis. Jamvero, quomodo Ecclesiae tam brevi post Apostolorum mortem omnium sibi traditorum oblitae fuissent?

Liceat hic referre etiam, quae auctor quidam praeclarus [2]) falsissimum mythorum systema refellens addit: «Si Christi miracula non sunt nisi figmenta, explicent rationalistae, quomodo absque miraculis efformata

---

[1]) Bene tamen notat P. *J. M. Lagrange*, O. Praed, (Revue biblique 1896 p. 513 s.): «Il existe dans la Bible une histoire primitive dont le fond est garanti par la véracité divine; mais certaines circonstances peuvent être considérées, soit comme des métaphores et des allégories, soit comme une accommodation hébraïque de la tradition orale. Ces circonstances sont plutôt le vêtement de la vérité que des vérités enseignées pour elles-mêmes, et on peut en les interprétant se préoccuper moins de leur objet propre que de leur sens par rapport à la vérité principale enseignée.» Non repugnat in historia primitiva, initio Geneseos descripta, argumentum velari quantum ad expressionem involucro plus minus metaphorico; sed difficile est indicare limites huius locutionis translatae.

[2]) *Th. J. Lamy*, Introductio in Sacram Scripturam, Pars prima, edit. 5. pag. 265.

est Ecclesia, quomodo crevit et adolevit, quomodo per omnes gentes propagata est, quomodo, devicta idololatria, devictis principibus, devicta haeresi, devicta corruptione, devicto tempore, cui nec fortissima resistunt imperia, usque hodie subsistat totius mundi victrix et triumphans; quomodo duodecim viri illiterati, rudes, agrestes, absque divitiis, absque eloquentia, absque armis, absque potentia potuerunt, quod nec philosophi celeberrimi nec principes potentissimi efficere valuerunt; quomodo duodecim viri, absque ullo humano auxilio potuerunt hominibus persuadere, ut idola desererent, mores suos corrigerent, omnibus commodis renuntiarent, ut hominem infami crucis supplicio damnatum adorarent, mortemque pro ipso libenter sustinerent. Certe non sunt fictitia, non sunt mythica ista Evangelia, pro quorum veritate innumeri martyres sanguinem suum fuderunt. Qui enim pro fabulis mortem pati vellet, hucusque non est inventus».

PARS TERTIA.

PROPHORISTICA
SEU DE SENSU INVENTO ALIIS PROPONENDO.

§ 54.
Dicendorum ratio et conspectus.

S. Scriptura rite intellecta cuilibet homini utilis est; sed non quilibet tempus atque ingenium necessarium habet, ut ipse sensum eius investiget. Quare viri quidam non pauci, qui studio s. Scripturae assiduo operam dare potuerunt, ea quae invenerunt, ad aliorum utilitatem scriptis exararunt, imprimis Ecclesia instigante. Sunt etiam concionatores, quibus officium incumbit, populo Verbum Dei proponere. Inde oboritur ratio novarum regularum, quarum ope scilicet sensus s. Scripturae proponatur.

Propositionis huius species plures exstiterunt, ita ut Sixtus Senensis earum non minus quam viginti quatuor enumerare possit. [1]) Verum earum quaedam iam non sunt in usu, et plures ad unam revocari possunt, quapropter recentiorum divisionem sequimur.

Species variae, quibus sensus inventus proponitur, dependent a *fine* auctoris, a *condicionibus auditorum vel lectorum, ab intima propositionis indole*.

1. Respectu *finis* intenti propositio aut est *theoretica* aut *practica*, prout interpres aut ss. Librorum argumento aliorum mentes illustrare aut etiam eorum mores informare vult. Prima etiam *historico-dogmatica*, altera *moralis* vocatur.

---

[1]) Sunt sequentes: 1 Translatio, 2 expositio stigmatica, 3 syllabica, 4 partitio, 5 epitome, 6 ecloge, 7 notariaca, 8 paraphrasis, 9 lexice, 10 annotatio, 11 commentatio, 12 sciographica, 13 tabellaria, 14 enarratio, 15 collatio, 16 meditatio, 17 poema, 18 epistola, 19 inquisitio, 20 coacervatio, 21 thematica, 22 collectanea, 23 scholastica, 24 pandesiaca. Cf. *Sixti Sen.* Bibliotheca sancta l. 3. ed. Venet. 1575 pag. 278 ss.

2. Respectu *condicionis personarum,* in quarum gratiam Scriptura exponitur, datur propositio *popularis* et *erudita,* prout rudiori vel cultiori ingenio atque captui auditorum vel lectorum accommodatur.

3. Respectu suae *intimae naturae* expositionis species sunt: *versio, paraphrasis, glossae, scholia, responsa ad quaestiones, commentarii,* prout scilicet aut sola lingua originalis cum vernacula vel alia cognita permutatur aut alio modo sensus exponitur, quod iterum aut ita fit, ut oratio continua et dictorum series retineatur, aut extra textus seriem notae breviores vel uberiores ponantur.

CAPUT XIII.

DE VARIIS MODIS SCRIPTURAE SENSUM PROPONENDI.

§ 55.

Versio.

1. Versio est translatio ex una lingua in alteram, praecipue e lingua originali in vernaculam.

Versio potest esse:

a) *immediata* aut *mediata*. Immediata est, quae directe e textu originali adornatur; mediata ea dicitur, quae non fit directe e textu originali, sed indirecte seu mediante altera.

b) *verbalis* aut *liberior;* prima presse sequitur vocabula textus originalis, altera sensum e sensu reddit, indeque etiam vocabula obscura clarioribus exprimit.

2. Versionem biblicam, verbalem praesertim, conficere opus est quam difficillimum; requiritur enim ingenium sagacissimum, sensus religiosus et aestheticus subtilissimus, linguarumque et originalis et in quam vertitur, notio perfectissima. Qui accuratam versionem adornare vult, sequentia observet:

a) Fidelissime reddat *argumentum* ipsum, quin aliquid addat aut auferat.

b) Quoad *formam,* retineat dicendi modum ab auctore adhibitum; quapropter prosaica prosaice, poetica poetice, figurata figurate vertat, totumque colorem originalem conservet, ita tamen, ne illius linguae, in quam vertit, genium offendatur, sed retineatur.

c) Versio sit *perspicua,* inquantum hoc possibile est per respectum ad linguae originalis, e qua vertitur, characterem, et per respectum ad genium linguae, in quam versio adornatur.

Hisce regulis admissis facile iudicium ferri potest de versionibus s. Scripturae hucusque adornatis: antiquae enim in genere plus iusto serviles sunt, recentiores interdum nimis liberae.

§ 56.

Paraphrasis.

1. Paraphrasis *definitur:* expositio sensus uberior, limitibus tamen orationis continuae adstricta.

Versio non removet nisi illam obscuritatem, quae e lingua peregrina oritur, at illas obscuritates, quae cogitatis ipsis insunt, relinquit. Paraphrasis vero etiam has alteras obscuritates tollit, inquantum

a) notiones medias et transitiones ab auctore suppressas supplet;

b) phraseologiam biblicam negligit et orationis formam immutat, praecipue periodos complicatiores in simplices convertendo;

c) quae sunt succincte dicta, uberius et clarius explicat, praesertim definitiones afferendo, rationes et causas indicando atque, si necesse est, rem e locis parallelis illustrando.

2. *Dotes* paraphrastae praecipuae sunt:

a) fidelitas quoad argumentum,

b) perspicuitas,

c) brevitas. Caveat igitur, ne ea quae clara sunt, etsi ab auctore breviter dicta, multis verbis propriis obscuriora reddat.

§ 57.

Scholia et glossae.

Paraphrasi quidem perspicuitas magna sed non omnimoda acquiritur; maiorem claritatem parare possunt adnotationes extra textum positae. Huc spectant primo scholia et glossae.

1. *Scholia* primitus designabant breviores explanationes textus antiqui ad usum scholarum, postea autem in genere expositiones breviores per oppositionem ad sic dictas «explanationes», «enarrationes», quibus apud Origenem *τόμοι* i. e. explicationes prolixiores et completae, nostri commentarii, correspondent.

Scholia continent:

a) explicationem vocabulorum obscurorum,

b) expositionem rerum minus cognitarum,

c) lectiones variantes,

d) nexum cogitatorum.

2. *Glossae* sunt adnotationes breviores, quibus sola vocabula quacunque ex causa obscura explicantur. Celeberrimae sunt: «glossa ordinaria» Walafridi Strabonis, et «glossa interlinearis» Anselmi Laudunensis.

§ 58.

Responsa ad quaestiones.

1. Jam sanctis Patribus et doctoribus veteribus, ut Origeni, Eusebio, s. Hieronymo a fidelibus interdum quaestiones ponebantur, quomodo certi s. Scripturae textus sint intelligendi, et per responsa loci illi ab interrogatis explicabantur. Idem usus quolibet tempore deprehendi potest, eique nostro tempore *tractatus* et *dissertationes* correspondent, quibus textus controversus et difficultates continens exponitur.

2. Ut huiusmodi dissertatio rite instituatur, sequentia requiruntur:

a) textus, de quo instituenda est dissertatio, sit maioris momenti atque revera obscurus, ut accuratiori investigatione indigeat;

b) textus critice examinetur;

c) variae expositiones ab aliis propositae referantur atque iuxta criticae et hermeneuticae regulas diiudicentur;

d) vera solutio proponatur, argumentis debitis firmetur atque contra obiectiones defendatur.

§ 59.

Commentarius.

1. Expositio continua, plena, erudita, rationibus solidis firmata, quae non se extendit ad aliquos locos difficiliores solummodo, sed ad omnia, quae expositione indigent, *commentarius* dicitur.

Differt igitur commentarius a versione et paraphrasi, eo quod extra seriem textus explicationes proponit; differt etiam ab adnotationibus, sc. scholiis vel glossis pleniori tractatione et praesertim solidiori sensus inventi confirmatione.

2. Ad commentarium diversa requiruntur:

a) ex parte *materiae*:

α) ut omnes textus exponendi variantes, quae alicuius momenti sunt, referantur, diiudicentur, ita ut pateat, quaenam lectio sit praeferenda.

β) ut verus sensus proponatur atque necessariis rationibus probetur;

γ) ut personae occurrentes, loca geographica, res historicae, allusiones ad mores, consuetudines describantur, et fontes unde haec descriptio desumatur, accurate indicentur, ut quilibet ad illos fontes facile recurrere possit;

δ) ut nexus sententiarum inter se et cum fine libri indicetur;

ε) ut repugnantiarum apparentium fontes ostendantur.

ζ) ut, cum allegationes ex Veteri Testamento in Novo exponuntur, indicetur, in quonam sensu, litterali an spirituali, allegatio fiat.

b) Ex parte *formae:*

α) praemittendae sunt notitiae historico-criticae scitu necessariae in prolegomenis;

β) conspectus gratia liber exponendus dividatur etiam in partes maiores, hae in minores subdividantur, atque uniuscuiusque argumentum indicetur:

γ) explicationes, quae proferuntur, conspectus gratia bene ordinentur, et iuxta naturam suam in seriem expositionis continuae, aut infra sub lineam, aut ad finem capitis vel libri ponantur.

3. Ad *dotes* praestantis commentarii pertinet:

a) ut sit *fidelis* in sensu proponendo atque in rationibus, quae ad eius confirmationem afferuntur. Sancta sancte sunt agenda, nulloque modo ut verbum Dei proponatur, quod verbum Dei non est;

b) ut sit *perspicuus,* ne commentarius novo indigeat commentario;

c) ut sit *completus,* omnes obscuritates illustrans;

d) ut sit *brevis,* non prolixus;

e) demum ut sit etiam *originalis,* non tam in novis sensibus proponendis, quam ut sensum verum novis rationibus corroboret.

4. Commentarii, qui solis expositionibus Patrum ad aliquem textum constant, *catenarum* nomine designari solent.

§ 60.

De interpretatione populari-practica.

Expositio popularis-practica ea est, quae ad rudiores dirigitur atque eorum mores instruere intendit. Haec non indulget disquisitionibus subtilioribus, non examinat quaevis obscura et dubia, non solvit omnes difficultates vel minimas neque ita amplum eruditionis adhibet apparatum, ut quaevis e philologia, archaeologia, historia ceterisque disciplinis, afferat.

Ecclesia hunc exponendi modum semper in suis *homiliis* adhibet, quarum celeberrimas nobis ss. Patres reliquerunt.

Primitus in cultu divino textus s. Scripturae iuxta ordinem legebatur, lectione peracta exponebatur atque praecipue ea, quae pia sensa excitant, inculcabantur. Serius (saec. 4) in usum venit divisio in pericopas, qui usus hucusque permansit.

Praeter homilias simplices, in quibus verba pericopae iuxta ordinem, quem tenent, explicantur, dantur *homiliae sublimiores,* in quibus idea fundamentalis pericopae assumitur atque cetera ad eam veluti ad centrum ordinantur.

§ 61.

Conclusio.

De exercitio exegetico.

Fieri potest et saepe fit, ut quis optime noverit interpretationis regulas, quin tamen eas applicare sciat. Hinc opus est exercitio assiduo ad hoc, ut aliquis bonus evadat exegeta; immo ipsae interpretationis regulae tali exercitio plenius perspiciuntur. Porro, tali exercitio non solum ii indigent, qui doctos in s. Scripturam commentarios componere intendunt, verum etiam ii, quibus animarum commissa erit cura, quoniam secus populo neque pericoparum sensum verum exponent, multo minus ad certas difficultates, quae hoc nostro tempore in ephemeridibus atque diariis, interdum etiam a simplicibus fidelibus lectis, circumferuntur, respondere poterunt.

Qui igitur ad tale exercitium accedit, ante omnia ducem sibi eligat aut commentarium optimum aut, quod melius est atque certius ad finem conducit, bonum magistrum, quo ducente

a) primo ad textus faciliores, et non nisi aliqua iam facilitate acquisita, ad locos difficiliores accedat;

b) sensum inventum mediis hermeneuticis probet atque aliis declarare sataget;

c) expositionem propriam cum aliorum laboribus comparet, de aliis expositionibus rectum iudicium ferat suamque contra obiectiones defendat;

d) exercitium semper prosequatur, ne habitum fortasse iam acquisitum amittat.

APPENDIX.

HISTORIA EXEGESEOS.

§ 62.

Dicendorum ratio et conspectus.

Interpretatio sacrae Scripturae habet suam historiam eamque ditissimam, cuius notio valde utilis est. Ex ea enim cognoscimus, quaenam fuerint explicationis verbi divini incunabula, incrementa, decrementa, restaurationes; quorum interpretum exemplum et methodum sequi debeamus, quinam autem vitandi sint, utpote sacrae Scripturae non tam interpretes, quam inimici. Praebet ea nobis etiam argumentum solidissimum, quo refellamus calumnias acatholicorum, quasi Ecclesia catholica studium librorum divinorum non solum neglexisset sed etiam prohibuisset.

Cum certos limites nobis in hoc conspectu historico constituere oporteat, non poterimus omnium eorum virorum, quibus studium sacrae Scripturae curae et cordi erat, nomina referre, multo minus omnes eorum operum titulos enumerare. Itaque lineas generales solummodo indicabimus, qua ratione tibi, lector benevole, patebit, cur quaedam nomina, tibi fortasse bene nota, in hisce paginis non occurrant.

Claritatis causa tractationem nostram in duas partes principales dividemus, quarum prima pro obiecto habebit interpretationem s. Scripturae apud Judaeos, altera eius expositionem apud Christianos. In secunda parte sermo erit primo de exegesi in Ecclesia catholica et quidem periodo Patrum, deinde periodo medii aevi, demum tempore recentiori; ultimo loco principales exegetas protestanticos nominabimus.

CAPUT XIV.
DE INTERPRETATIONE JUDAEORUM.

§ 63.
Expositio s. Scripturae apud Judaeos antiquiores.

A tempore Moysis Judaeos s. Scripturam interpretatos esse supra ostendimus. Quaedam vestigia huius interpretationis iam in libris canonicis recentioribus inveniuntur, alia in libris apocryphis. Methodus expositionis non erat eadem apud omnes Judaeos: distinguere oportet expositionem Judaeorum palaestinensium (et aramaeorum) ab expositione Hellenistarum.

I.

Apud Judaeos palaestinenses praevalet expositio litteralis, id quod observari potest iam

1. in *Targumim*. Cum lingua hebraea apud Judaeos post reditum ex exilio pedetentim obsolesceret, necesse erat versiones adornare, quae Targumim vocantur. Harum versionum plures apud Judaeos circumferebantur.

a) In Pentateuchum existebat

α) *Targum fragmentorum,* nomen suum inde habens, quod nonnisi quasdam textus partes exponeret.

β) *Targum Jerusalmi,* quandoque etiam *Targum Pseudo-Jonathanis* appellatum, eo quod abbreviatio ת"י qua designabatur, false exponeretur.

γ) *Targum Onqelosi,* quod ut etiam praecedentia duo in dialecto palaestinensi conscriptum erat.

b) In Prophetas priores et posteriores existebat *Targum Jonathanis.*

c) Praeterea adornata sunt similia Targumim in Jobum, Psalmos, Canticum Canticorum, Proverbia, Ruth, Threnos, Ecclesiasten, Esther et in libros chronicorum.

2. Quomodo *Pharisaei* s. Scripturam exponerent, indicavit iam Flavius Josephus dicens, eos «accuratiorem Scripturarum intelligentiam» secutos esse (Bell. Jud. 2, 8, 14). Eorum principia hermeneutica nos edocet *Talmud,* in quo praecedentium exegetarum theoriae collectae sunt.

Primum, quod in hac expositione sub oculos cadit, est, eos praecipue partium legalium expositioni incubuisse, quod de cetero etiam Flavius Josephus testatur verbis (l. c): «*δοκοῦντες μετὰ ἀκριβείας ἐξηγεῖσθαι τὰ νόμιμα.*» E legibus mosaicis novas deduxerunt, quas הֲלָכָה (Halákha) [1]) appellarunt et ad Moysen usque referebant, quare nemini ab eis in vita discedere licebat. Ceterae expositiones praeter halakhicas הַגָּדָה (Haggâda) [2]) ab eis appellatae sunt, et referunt omnia, quae interpretes iudaici ex historia, archaeologia, geographia, grammatica diversisque narrationibus fabulosis collegerunt.

In hac expositione duos sensus distinguebant: *proprium* (מַשְׁמָע, i. e. quod auditur, quod soni indicant) et *derivatum* (מִדְרָשׁ id quod per inquisitionem obtinetur).

Proprius iterum duplex erat:

α) *simplex* (פְּשַׁט expansus, clarus) et

β) *arcanus* (סוֹד mysterium).

Derivatus dividebatur in:

α) דְּרוּשׁ qui logica conclusione eruebatur, et in

β) רֶמֶז (a רָמַז innuit), quem verborum scriptio plena aut defectiva vel aliqua idearum associatio indicabat.

Ut memoria illos quatuor sensus facilius conservaret, designabant eos voce פר"דס e litteris initialibus illorum nominum composita et quasi «paradisum» aperiente.

Regulae hermeneuticae antiquissimae sunt illae septem Hillelis:

α) קַל וָחוֹמֶר cum e facili difficile cognoscitur et vice versa.

β) גְּזֵירָה שָׁוָה. Juxta hanc regulam ex aliqua voce vel ei simili, in diversis locis Pentateuchi de diversis rebus occurente ex una re de alia concluditur.

γ) בִּנְיָן אָב (superaedificatio patris), consistit in probatione per exemplum.

δ) שְׁנֵי כְתוּבִים, cum contradictio inter duas propositiones apparens ope tertiae tollitur.

ε) כְּלָל וּפְרָט genus et species;

ζ) כְּיוֹצֵא בוֹ בְּמָקוֹם אַחֵר, cum unus textus per alium similem exponitur.

η) דָּבָר הַלָּמֵד מֵעִנְיָנוֹ cum ex auctoris tendentia argumentatur.

Hisce postea alii alias regulas addiderunt; Ismael refert earum 13, R. Jose Galilaeus 32.

---

[1]) a הָלַךְ incessit.

[2]) a הִגִּיד narravit.

Commentarii, qui principiis enumeratis adhaerent, *Midrasim* (inquisitiones) vocantur, suntque sequentes:

Mêkhiltâ (מְכִילְתָּא a כּוּל mensurare) proprie: *mensura,* deinde: *regula, lex,* continens expositionem quorundam locorum Exodi (12, 1—23, 30; 31, 12—17; 35, 1—4). Primitus expositiones halakhicas tantum referre debebat, sed etiam quaedam haggadica continet. Illustrat ritus et leges caerimoniales. Aliqui eam saeculo 2. vel 3. attribuunt, alii tempori recentiori.

Siphrâ (סִפְרָא liber) et *Siphri* (סִפְרֵי libri), quorum primus Leviticum, alter librum Numerorum et Deuteronomium exponit. *Pesiqtâ* exponit pericopas sabbathicas.

Juniores sunt *Rabboth* (רַבּוֹת i. e magnae expositiones in Pentateuchum et in 5 Megilloth: Beresith rabba, Semoth rabba, Wajjikra rabba, Bemidbar rabba, Debarim rabba, Sir ha-sirim rabba etc. *Morinus* (Exercitat. bibl. II. 92) de iis dicit: «Modus interpretandi, quem affectant, est allegoricus et anagogicus, aliquando moralis, vix unquam litteralis; si quando litteralis, tum saepe fabellarum monstra et portenta enarrat, ad quae Scripturae verba vult referri. Universim vero tota narratio et sermocinatio fabellis et dictis de rabbinis suis et eorum gestis velut luminibus et margaritis amplificatur et ornatur.»

Primus Midras cohaerens in Pentateuchum *Tanchuma* vocatur; refert saepe traditiones, praecipue palaestinenses, non inutiles.

Adnotationes ad omnes libros Antiqui testamenti refert *Jalqût Simônî.*

3. *Qaraei* (קָרָאִים) possunt considerari ut successores Sadducaeorum et quodam sensu ut praedecessores protestantium. Flavius Josephus (Ant. 18, 10, 6) narrat, Sadducaeos noluisse adhaerere traditionibus patrum, quas Pharisaei docebant. Oppositio haec ab anno 750 p. Chr. schisma inter Judaeos adduxit. Anan enim exilarchae Chasdai nepos, Basrae natus ca. an. 700, cum exilarchae dignitatem gestiens eam non esset consecutus, Bagdadi sectam Qaraeorum fundavit, quae mox in Palaestina et praecipue in peninsula Krimensi propagata est. Sectae huic proprium est, traditiones quascunque reiicere et soli legi mosaicae adhaerere. Traditiones considerat solum ut saepimentum (סְיָג), quo sôpherîm Toram circumdederint. Ope 13 regularum hermeneuticarum Ismaelis eruebant sensum litteralem (masma), tanquam primam radicem suae doctrinae; sensum hunc ope duarum aliarum radicum, quae sunt syllogismus et consensus synagogae, complebant.

II.

Exegesis Hellenistarum. Expositio allegorica, quae etiam apud Judaeos palaestinenses in usu erat, praecipue apud *Judaeos Alexandrinos,* praevaluit. Cum Graecis enim viventes et partim etiam eorum ideis

imbuti, s. Scripturam modo magis mystico exponebant, ut hoc modo harmoniam inter ea, quae Graeci recte docebant, et s. Scripturam inducerent. Initia huius interpretationis leguntur iam in epistola *Ps. Aristeae,* [1]) qui saeculo 2. ante Christum scribebat, et apud *Aristobulum,* qui philosophus iudaeus et Ptolomaei Philometoris magister, eadem ferme aetate opera sua componebat. [2]) «Solet, inquit, Moyses legislator noster animi sensa multis modis exprimere, dum aliarum rerum, quae sub sensus cadunt, vocabula et nomina mutuatus, affectiones quasdam naturales magnarumque rerum molitiones commemorat. Et illi quidem, quorum acrior intelligendi vis est, tum sapientiam hominis singularem tum divinum illum spiritum, cuius afflatu prophetae nomen et famam assecutus est, magnopere admirantur; at quibus facultas ingenii augustior est, illi, dum ad unum Scripturae corticem adhaerescunt, nihil augusti admodum et excellentis ab eo narrari arbitrantur» (Eus. Praep. Evang. 8, 10).

Eadem exponendi ratio, teste Philone (De Vita contempl. 10), viguit apud *Essenos.*

At princeps scholae Alexandrinae fuit *Philo* († 39 p. Chr.). Hic agnovit quidem sensum litteralem, sed magis in gratiam rudium eum Scripturae inesse censuit, qui se elevare ad sublimiora non possunt; multo praestantior ei visus est sensus spiritualis, quem propterea praeprimis inquirebat. Sic Abraham est ei symbolum virtutis doctrina acquisitae, Isaac virtutis a natura productae, Jacob virtutis usu et meditatione paratae etc. [3]); Aegyptus ei corpus, Canaan pietatem, turtur sapientiam divinam significat, et ita porro. Hanc expositionem adhibendam praecipue tunc censuit, quando verba s. Scripturae simpliciter sumpta Deo aliquid indigni attribuunt aut contradictionem involvunt. At simul asserit, Scripturam ipsam persaepe hanc allegoriam indicare, praecipue si vox aliqua repetitur, aut expressio superflua apponitur aut dictio mutatur. [4])

2. *Qabbalistae* (a קִבֵּל accipere) multo longius in allegorizanda s. Scriptura processerunt. Secta haec nomen suum trahit a doctrina quadam secreta, Moysi in Monte Sinai revelata et per traditionem conservata. Initia doctrinae qabbalisticae deprehenduntur quidem iam ultimis saeculis ante Christum, sed plene evoluta non apparet nisi ultimis saeculis primi post Christum millenii. Qabbalistis omnia terrena in

---

[1]) Cf. *Euseb.* Praep. Evang. 8,9.

[2]) Cf. *Euseb.* Hist. Eccl. 7, 32; Praep. Evang. 8, 10.

[3]) De Abraham, 2.

[4]) Opera eius critice edidit *T. Mangey* graece et lat. (London 1742. 2 vol. fol.). Aliam editionem, in qua etiam opera Philonis ab Ang. Mai et Aucherio inventa reperiuntur, curavit *C. F. Richter* (Lips. 1828—30. 8 voll). *P. Scheil* Ord. Praed. edidit: «Deux traités de Philon, d'après un papyrus du VIe siècle trouvé à Louxor» in: Mémoires publiés par les membres de la Mission archéol. franç. au Caire, Tom. IX., deux. fasc. Novam editionem parant *L. Cohn et P. Wendland* (Berolini).

mundis superioribus praefigurata sunt, et ideae universi divinae praecipue numeris facultati nostrae cognoscitivae depingi possunt. Ipsi quoque firmissime tenent sensum litteralem; quaelibet alphabeti littera est magni momenti. At in eo stare non licet, e contra est veluti velamen, quo sensus allegoricus, initiatis tantum accessibilis, tamquam anima includitur.

Artificia, quibus illum sensum eruunt, sunt:

a) *Gematria* (*γεωμετρία*), cum singularum vocum litterae pro numeris sumuntur, ut ex illis numeris dein variis modis doctrinae trahantur. Sic ex. gr. in primo et ultimo Antiqui Testamenti versu (Gen. 1, 1 et Par. 36, 23) sena aleph occurrunt; ergo mundus sex annorum millia durabit.

b) *Notaricon* (nota=abbreviatio) in hoc consistit, quod vocis alicuius litterae pro notis aliarum vocum sumuntur et ita ex uno vocabulo phrasis conflatur [1]), aut in eo quod litterae initiales alicuius propositionis adhibentur ad aliquod vocabulum constituendum.

c) *Temura* (a מור permutare), cum vocabuli litterae inter se permutantur; quae permutatio aut naturalis est aut artificialis. Exemplum naturalis praebet vocabulum מַלְאָכִי (Ex. 23, 23 i. e. angelus meus), quod transpositione naturali dat nomen ipsius angeli מִיכָאֵל i. e. Michael. Permutatio artificialis fit ope certarum regularum, quarum una *atbas* (אתב״ש), altera *albam* (אלב״ם) dicitur. Iuxta priorem regulam loco primae

---

[1]) De hoc modo scribit *Sixtus Sen.* (Bibl. S. l. 3. ed. Venet. 1575 p. 264): «Comperio etiam apud vetustissimos Graecos eandem exponendi peritiam fuisse, non solum apud Platonem in Cratylo, ubi de nominum etymologia non dissimilem disciplinam tractat; sed etiam apud Esopum Phrygium. . . . Is enim cum una cum hero suo Xantho veteres quorundam aedificiorum ruinas perlustraret, forte incidit in columnam quandam marmoream, cui septem graecae litterae erant insculptae, indicantes thesaurum eo in loco non longe a columna defossum, quarum cum Xanthus intelligentiam anxie disquireret, Esopus, inventis dictionibus, quae ab iisdem characteribus incipiebant, scripturam illam, tribus adhibitis expositionibus, illustravit. Erant autem literae huiusmodi *Α. Β. Δ. Ο. Υ. Θ. Χ.*, quas Esopus, manifestans hero suo locum thesauri, quem litterae designabant, sic primum exposuit: *Ἀποβὰς βήματα τέσσαρα ὀρύξας εὑρήσεις θησαυρὸν χρυσίου* (abscedens gradus quatuor, invenies thesaurum aureum). Cum itaque Xanthus thesaurum effodisset, neque partem ullam auri Esopo decerneret, modeste eum admonuit Esopus, ut praecepto columnae insculpto pareret, quod litterae continebant hunc in modum: *Ἀνελόμενοι βαδίσαντες διελέσθε ὃν εὕρετε θησαυρὸν χρυσίου* (Tollentes ite, dividite, quem invenistis thesaurum aureum). Quod cum Xanthus facere contemneret solusque auro potiri vellet, indignatus Esopus, comminatus est, nisi partem acciperet, se alterum eiusdem scripturae mandatum executurum, ita praecipientibus litteris: *Ἀπόδος βασιλεῖ Διονυσίῳ ὃν εὗρες θησαυρὸν χρυσίου* (Redde regi Dionysio, quem invenisti, thesaurum aureum)». — Etiam antiquos Gnosticos doctrinam suam e litterarum et numerorum mysteriis hausisse, testatur *S. Irenaeus* (adv. Haer 1, 14, 2 ss.) Cf. etiam *Philosophumen.* 6, 43 ss.

litterae alphabeti א ponitur ultima ת, loco secundae ב ponitur ש etc. iuxta alteram regulam loco primae litterae א ponitur duodecima ל, loco secundae ב tertia decima מ et ita porro.

Liber principalis, in quo doctrina qabbalistica deposita est, vocatur סֵפֶר יְצִירָה (hebr. et lat. ed. Rittangel, Amst. 1642). Quo tempore conscriptus sit, ignoratur; si ad linguae characterem attendimus, poterimus eum primis post Christum saeculis adscribere. Alius liber, qui similes speculationes continet, est «liber Zohar» (סֵפֶר הַזֹּהַר liber splendoris), speciem commentarii midrasici in Pentateuchum praeseferens et saec. 13. prima vice apparens.

§ 64.

Judaeorum interpretes iuniores.

1. *Exegetae talmudici.* Sub influxu scientiae per Arabes propagatae Judaei saec. 10. coeperunt ad grammaticam linguae suae accuratius attendere et eius ope s. Scripturam exponere.

Primus huius categoriae est *Saadja Gaôn* (892—942) Faiiumi in Aegypto natus et adversarius Qaraeorum, postea rector (Gaôn) scholae Surae in Babylonia. Primus in grammaticam hebraeam investigationes instituit, totum V. Testamentum in linguam arabicam vertit et in omnia V. Legis scripta commentarios scripsit, ita ut a suis «interpres» *κατ᾽ ἐξοχήν* appellaretur.

Post Saadiam exposuerunt partes s. Scripturae *Gaôn Samuel ben Chofni* in lingua arabica et *Chananel ben Cchuschiel* in lingua hebraea.

Exeunte saeculo 10. et ineunte 11. vixit Cordubae in Hispania *Jehuda ben David Chajjug,* qui primus tres consonantes in verbis hebraeis adesse supposuit, quam theoriam consequentius evolvit *Abulwalid Merwan ibn Ganah,* praecipue Saragossae vivens, et quidem primo dimidio saeculi 11. Primus homo grammaticus ex hac schola, qui totam Scripturam arabice exposuit, erat *Mose ben Samuel ibn Chiqitilla* Cordubensis (scripsit praecipue ab an. 1050—1080), [1]) cuius operum nonnisi quaedam fragmenta ad nos pervenerunt.

Ex posterioribus praecipue commemorandi sunt:

a) *R. Salomon Iizchaqui* (רש"י i. e. Rabbi Selomo ben Iizchaq), quandoque *Rasi*, falso «Jarchi» appellatus. Natus Trecis in Campania c. a. 1040. et ibidem a. 1105. mortuus, maximam apud suos sibi acquisivit auctoritatem operibus tam grammaticis quam exegeticis. Antiquum Testamentum fere totum (exceptis libris Chronic. et Esdrae) exposuit et quidem praesertim in sensu eius litterali, quin tamen allegorias omnino negligeret. Christianos saepe impugnat, et propterea

---

[1]) Cf. *S. Poznanski:* Mose B. Samuel Hakkonen ibn Chiqitilla, Lips. 1895.

etiam vaticinia messianica a Judaeis antea admissa et Christianis faventia alio modo exponit. Eius commentarius in Pentateuchum erat primus liber hebraicus, qui typis impressus est.

b) *R. Abraham ibn Ezra,* saepe etiam *Aben Ezra* appellatus. Toleti in Hispania natus c. a. 1093. postquam in Italia et Gallia docuerat, a. 1167 in insula Rhodo vita functus est. Praeter opera grammatica, philosophica, theologica composuit commentarium (incompletum) in Pentateuchum et in alias Antiqui Testamenti partes. Magis quidem quam Rasi sensui litterali adhaeret, at allegoricum quoque admittit, praesertim in Cantico Canticorum.

c) *R. David Qimchi,* etiam *Radaq* (רד"ק) appellatus. Narbonae in Gallia a. 1170. natus, ibidem c. an. 1230. mortuus, patrem suum *Joseph Qimchi et fratrem Moysen* scientia et scriptis superavit. Lexicon eius hebraicum (ס' שרשים liber radicum) per longum tempus unicum fuit et exemplar sequentium. Fere omnes A. Test. libros interpretatus est, et commentarii eius a Judaeis tanti habebantur, ut in Biblia rabbinica reciperentur. Odium suum contra Christianos occultavit quidem, at apparet sufficienter in expositionibus vaticiniorum messianicorum. Sequitur communiter sensum litteralem, at spiritualem non reiicit.

Exegetae Judaei nunc nominati multa quidem ex Arabum scientia hauserunt, at nihil ex eorum philosophia. Haec summi momenti erat apud Sal. ibn Gabirol, Maimonidem et sequentes.

d) *Samuel ibn Gabirol* († ca. 1070 Valenciae), notus est praesertim suo opere «Fons vitae».[1]) Ideas iudaicas cum neoplatonicis et aristotelicis unire conatus est.

e) *R. Moyses ben Maimon,* communiter *Maimonides,* interdum *Rambam* (רמב"ם) appellatus, natus est Cordubae in Hispania a. 1135. et mortuus est in Aegypto an. 1204. Ut se persecutionibus subtraheret, sectae muhammetanicae nomen dedit, sed postea in Aegyptum aufugit ibique iuxta patrum suorum ritus vixit, ab imperatore Saladino, cuius medicus erat, magni habitus. Ut eis, qui ideis philosophicis, s. Scripturae contradicentibus, imbuti erant, exitum aliquem pararet, cogitavit de mediis et ut aptissimum proposuit, plures narrationes Antiqui Testamenti tamquam idearum involucra considerare. Id in libro «Dux errantium» arabice conscripto docuit[2]).

Eiusdem scholae philosophicae sunt exegetae Judaei: *Tanchûm Jerûsalmi* (saec. 13), *Levi ben Gersom* († 1340), cuius commentarius in

---

[1]) Latinitate illud donavit *Bäumker,* Monaster. 1892.

[2]) Textus hebraeus criticus una cum versione gallica editus est a *S. Munk* (Paris 1856).

Jobum in Bibliis Rabbinorum invenitur; *Joseph Albo* (1388—1444), *Abarbanel* (1437—1508) [1].

Saeculo 16. et 17. plures Judaei, ut *Elias Levita, Salomo Norzi, Asar. Rossi,* in criticam textus hebraei s. Scripturae opera utilia scripserunt, at commentarii eorum vix mentione digni sunt. Recentius apud multos rationalismus invaluit, qui eos ab interpretatione s. Scripturae abducit.

---

[1]) De exegesi Judaeorum cf. *Bacher:* Die Bibelexegese der jüd. Religionsphil. vor Maimon. 1892. *Diestel:* Geschichte des A. Test. in der christl. Kirche. 1869. *Siegfried:* Philo von Alexandrien als Ausleger des A. T., an sich selbst u. nach seinem geschichtlichen Einfluss betrachtet. 1875.

Commentarii Rabbinorum praecipui inveniuntur in «Bibliis Rabbinicis», quorum editiones septem hucusque adornatae sunt. Primae tres, quia in officina Bombergiana impressae sunt, «Bombergianae» dicuntur (an. 1517, 1525, 1548); quarta prodiit Venetiis 1568 et quinta ib. 1617; sexta edita est cura J. Buxtorfii Basileae 1618—19 et ultima Amstelodami 1724 cura Moysis Francofurtensis. Numero commentariorum inter se differunt. Idea talium editionum debetur *Felici Pratensi,* Ord. Aug., († 1539) iudaeo converso, qui officinae Bombergianae praefuit et postea Romae doctrinam Christianam Judaeis sermone hebraico praedicavit.

CAPUT XV.

DE INTERPRETATIONE CATHOLICORUM.

§ 65.

Interpretatio s. Scripturae in Ecclesia primitiva.

Si protestantibus fides habenda esset, Ecclesia nihil aut fere nihil fecit, ut s. Scripturae sensus fidelibus aperirentur. Hanc in iudicando non tantum temeritatem sed etiam summam iniustitiam Summus Pontifex Leo XIII in Encyclica «Providentissimus Deus» merito carpit. Etenim «praeclare . .» providentia excellit Ecclesiae, quae, ne coelestis ille sacrorum Librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitiate hominibus tradidit, neglectus iaceret, optimis semper et institutis et legibus cavit. Ipsa enim constituit, non solum magnam eorum partem ab omnibus suis ministris in quotidiano sacrae psalmodiae officio legendam esse et mente pia considerandam, sed eorundem expositionem et interpretationem in ecclesiis cathedralibus, in monasteriis, in conventibus aliorum regularium, in quibus studia commode vigere possint, per idoneos viros esse tradendam; diebus autem saltem dominicis et festis solemnibus fideles salutaribus Evangelii verbis pasci, restricte iussit. Item prudentiae debetur diligentiaeque Ecclesiae cultus ille Scripturae sacrae per aetatem omnem vividus et plurimae ferax utilitatis. In quo, etiam ad firmanda documenta hortationesque nostras, iuvat commemorare quemadmodum a religionis christianae initiis, quotquot sanctitate vitae rerumque divinarum scientia floruerunt, ii sacris in Litteris multi semper assiduique fuerint. Proximos Apostolorum discipulos in quibus Clementem Romanum, Ignatium Antiochenum, Polycarpum, tum Apologetas, nominatim Justinum et Irenaeum, videmus epistolis et libris suis, sive ad tutelam sive ad commendationem pertinerent catholicorum dogmatum, e divinis maxime Litteris fidem, robur, gratiam omnem pietatis arcessere».

Sicut apud Judaeos in synagogis, ita apud primos christianos in conventibus eorum, multus erat s. Scripturae usus et frequens eius expositio. Haec fiebat iuxta normas a Christo Domino et Apostolis traditas.

Patres apostolici, quemadmodum ipsi Apostoli, non nisi epistolas scripserunt, in quibus occasione data textus convenientes explanarunt.

Epistolae illae tamen exegitis summi sunt pretii, quia ex eis novimus, patres illos etiam Novi Testamenti libros, et quosnam, adhibuisse.

Apologetae saeculi 2. religionem Christianam defendebant, neque eis otium erat, ex professo s. Scripturam exponere. Sed occasione data textus quosdam, praesertim messianicos A. Testimenti exposuerunt, ut Christi divinitatem probarent.

In primo dimidio saec. 3 Romae s. Scripturam interpretatus est *Hippolytus*, et quidem hic primus est theologus Christianus, qui totam s. Scripturam interpretari coepit. Operum eius nonnisi fragmenta quaedam ad nos pervenerunt, praecipue ex commentariis in Danielem, ex quo eius methodum interpretandi sufficienter cognoscimus. Adhaeret sensui litterali, etsi interdum etiam in spirituali s. Scripturam exponat. [1])

§ 66.

Schola Alexandrina.

Novum incrementum accepit exegesis catholica fundatione scholarum. «Scholis autem catecheticis ac theologicis in multis sedibus episcoporum exortis, Alexandrina et Antiochena celeberrimis, quae in eis habebatur institutio, non alia prope re, nisi lectione, explicatione, defensione divini verbi scripti continebatur. Inde plerique prodierunt Patres et scriptores, quorum operosis studiis egregiisque libris consecuta tria circiter saecula ita abundarunt, ut *aetas biblicae exegeseos aurea* iure sit appellata» (Prov. Deus).

In Oriente Alexandria tunc temporis erat centrum scientiae profanae et iudaicae, cui christiani suae doctrinae prae ceteris excellentiam probare voluerunt, quare schola ab eis antiquitus (*ἐξ ἀρχαίου ἔθους* Eus. Hist. Eccl. 5, 10) fundata «catechetica» appellatur. Primitus pro catechumenis instituta, medio saec. 2. excrevit in scholam theologicam, in qua tota Graecorum scientia docebatur, ut apologiae christianae inserviret. Ad fastigium perfectionis suae sub Origene pervenit. Huius scholae proprium erat, quod Philonis vestigiis secuta, mysticae praesertim interpretationi faveret.

Doctores et interpretes principales huius scholae fuerunt:

S. Pantaenus, scholae Alexandrinae versus finem saeculi 2. rector et moderator. Eum sacram Scripturam exposuisse, asserit Eusebius (l. c. 5, 10) et Hieronymus (De vir ill. c. 36); num vero expositiones

---

[1]) *S. Hier.* (De vir. ill. c. 61) recenset eius opera: «Scripsit nonnullos in Scripturas commentarios, e quibus hos reperi: in *ἑξαήμερον* et in Exodum, in Canticum Canticorum, in Genesim et in Zachariam, de Psalmis et in Isaiam, de Daniele, de Apocalypsi, de Proverbiis, de Ecclesiaste, de Saul et Pythonissa.»

illas etiam scriptis exaraverit, dubitatur, cum nihil ab eo ad nos pervenerit, et Clemens de eo locutus sit tamquam de uno ex illis viris illustribus, qui nullos libros scripserunt (cf. Strom. 1, 1). Mortuus est ante an. 200 p. Chr.

Clemens Alexandrinus primum Pantaeni discipulus, ab an. 190. cum eo in schola alex. magister, et post eius mortem in schola dirigenda successor fuit. Hodiedum exstant tria opera ab eo conscripta: *Cohortatio ad Gentiles* (λόγος προτρεπτικὸς πρὸς Ἕλληνας), *Paedagogus* (Παιδαγωγός), *Stromata* (στρωματεῖς), in quibus plurimos Scripturae textus refert et exponit. Praeterea auctor fuit aliorum operum nunc deperditorum, inter quae eminebant exegetici libri octo Ὑποτυπώσεων, exponentes textus ex utroque Testamento. Partem huius operis in lingua latina conservatam tenemus sub nomine: «Adumbrationes in epistolas catholicas» (M. 9, 729—740), quae versio ex Cassiodori mandato adornata est.

Origenes (185—254) tum doctrina et eruditione sua, tum librorum a se editorum numero et splendore ceteros superavit, ita ut Leo XIII iure de eo scripserit: «Inter orientales principem locum tenet Origenes, celeritate ingenii et laborum constantia admirabilis, cuius ex plurimis scriptis et immensorum Hexaplorum opere deinceps fere omnes hauserunt» (Prov. Deus). Natus Alexandriae, ex patre Leonida, qui pro fide christiana martyrium subiit, scholae illius civitatis praefectus est, annum 18. vitae sua agens, in quo munere brevi tempore celeberrimus evasit.

Opera ab eo conscripta maxima ex parte exegetica sunt. Ut textum LXX restitueret, *Hexapla* (Ἑξαπλᾶ) composuit, in quibus textum hebraeum litteris hebraicis et graecis transcripsit, adiectis textibus Aquilae, Symmachi, LXX, Theodotionis. Verba aut propositiones, quae in LXX legebantur, at in textu originali non inveniebantur, obelo distinxit, lacunas LXX ex aliis textibus, imprimis e Theodotionis versione supplevit, et asterisco indicavit. In quibusdam partibus illud opus Ὀκταπλᾶ fuit, quia Origenes duas alias versiones graecas addidit. [1])

Praeterea s. Scripturam tripliciter exposuit, de quo s. Hieronymus (Transl. homil. Orig. in Jerem. Prol.) scribit: «Illud breviter moneo, ut scias Origenis opuscula in omnem Scripturam esse triplicia. Primum eius opus Excerpta, quae graece σχόλια nuncupantur, in quibus ea, quae sibi videbantur obscura atque habere aliquid difficultatis, summatim breviterque perstrinxit. Secundum homileticum genus, de quo et praesens interpretatio eius est (in quo sc. modo magis populari et rhetorico textum exponit). Tertium, quod ipse inscripsit τόμους, nos volumina (i. e. commentarios) possumus nuncupare, in quo opere tota ingenii sui vela spirantibus ventis dedit et recedens a terra in medium pelagus aufugit».

---

[1]) Ed. *Montfaucon,* Paris 1713; *Migne,* Patr. Graec. Tom. XV et XVI, *Field,* Origenis Hexaplorum quae supersunt. Oxonii 1875.

Opera eius maxima ex parte deperdita sunt, nonnisi quibusdam conservatis sive in textu graeco sive in latina Rufini et Hieronymi versione; pervenerunt ad nos sequentia: Homiliae in primos quatuor libros Moysis, in Josue et Judices; duae in 1. Samuelis, quaedam in Psalmos 36—38, duae in Canticum Canticorum, et plures etsi non omnes in Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, Evangelium s. Lucae; deinde Commentarii in epistolam ad Romanos, in Evangelium s. Matth. 13, 16—28, 20, novem tomi in Joannem, in Ps. 1—36 et 118—150 et pars commentarii in Canticum canticorum.

De regulis hermeneuticis Originis saepius iam per transcursum sermo fuit. Trichotomiam Platonis applicat ad s. Scripturam, ita ut tres sensus habeat: corporalem, moralem, spiritualem. Spiritualis eminet et ideo ab Origene etiam prae ceteris quaeritur.

Julius Africanus ca. an. 215. Alexandriam iter suscepit, ut Heraclam, magistrum scholae catecheticae audiret; postea Nicopoli in Palaestina vixisse videtur. *Socrates* eum optimis exegetis adnumerat (cf. Socr. Hist. Eccl. 2, 35). Ca. an. 228. Origeni epistolam scripsit, in qua Susannae historiam spuriam esse asserit idque probare conatur. Magnum nomen sibi acquisivit praecipue opere *Χρονογραφίαι* in quinque libris (Euseb. Praep. Evang. 10, 10; Demonstr. Evang. 8), ubi historiam biblicam cum profana quadrare ostendit. Scripsit etiam epistolam ad Aristidem, in qua contradictionem apparentem inter Christi genealogiam apud s. Matthaeum et s. Lucam solvit.

S. Dionysius Magnus († 265), scholae Alexandrinae per aliquod tempus rector, postea eiusdem civitatis episcopus fuit. Opera eius perdita sunt, quibusdam fragmentis exceptis, inter quae eminet commentarius in tria prima capita Ecclesiastae. Contra Nepotis: «Confutationem allegoristarum» scripsit duos libros «de promissionibus», in quibus suam de chiliasmo doctrinam exponit et Apocalypsim s. Joanni apostolo abiudicat, ut adversarium suum facilius impugnet. Ut Origenis discipulus sensum spiritualem diligit, at minus iam quam magister eius.

S. Gregorius Neocaesariensis († 270), propter miraculorum donum etiam Thaumaturgus nuncupatus, inter Origenis discipulos nequaquam ultimum locum tenet. Ex operibus eius conservata est *Μετάφρασις εἰς τὸν Ἐκκλησιαστὴν τοῦ Σολομῶντος*, quam s. Hieronymus brevem quidem, sed valde utilem dicit (s. Hier. De vir. ill. 65).

Eusebius Caesariensis († 340) non fuit quidem immediatus Origenis discipulus, at in multis suis scriptis omnino ab eo dependet. Opera eius quidem Arianismo quandoque favent, at sunt exegetae valde utilia, praesertim ea, quae historiam, apologiam, exegesim spectant. Eusebius videtur plures libros s. Scripturae integros exposuisse; exstant adhuc, sed non toti, commentarii in Psalmos, in Isaiam, in Evangelium s. Lucae, deinde Evangeliorum harmonia et Onomasticon (*περὶ τῶν τοπικῶν*

ὀνομάτων τῶν ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ), quod opus s. Hieronymus vertit et complevit. Ex historicis eius operibus exegetae utilia sunt: Historia ecclesiastica et Chronicon; ex apologeticis: Demonstratio evangelica (εὐαγγελικὴ ἀπόδειξις) et Eclogae propheticae (ἐκλογαὶ προφητικαί), ubi plura vaticinia messianica exponuntur.

S. Athanasius († 373), quem S. Greg. Naz. Ecclesiae columnam appellat, episcopus Alexandrinus fuit et veram fidem in multis operibus strenue defendebat. In exegeticis Origenem secutus est. Eum in Psalmos librum composuisse, testis est s. Hieronymus (De vir. ill. 87); nunc sub eius nomine conservantur: «Expositiones in Psalmos» et «De titulis Psalmorum», sed sub iudice lis est, quinam ex hisce duobus s. Athanasio sit attribuendus. In Catenis conservata sunt quaedam fragmenta eius expositionis in Jobum, Canticum cant., Matth., Luc. et 1. ad Cor. Praeterea habetur eius «Epistola ad Marcellinum», in qua Psalmos in diversas classes dividit, et qua occasione recitandi sint, explicat.

Didymus Alexandrinus († 397), «coecus» cognominatus est, eo quod puer iam visum amiserit; sed continuo labore in studiis ita profecit, ut scholae Alexandrinae rector praeficeretur, ubi Rufinum et ipsum Hieronymum discipulos habuit. Rufinus scribit de eo (Hist. eccl. 2, 7): «Miscebat tamen precibus studia ac laborem et iuges continuatasque vigilias non ad legendum, sed ad audiendum adhibebat, ut quod aliis visus, hoc illi conferret auditus. Cum vero post lucubrationis laborem somnus, ut fieri solet, legentibus advenisset, Didymus silentium illud non ad quietem vel otium datum ducens, tamquam animal ruminans cibum quem ceperat ex integro revocabat et ea quae dudum percurrentibus aliis ex librorum lectione cognoverat memoria et animo retexebat, ut non tam audisse quae lecta fuerant, quam descripsisse ea mentis suae paginis videretur. Ita brevi, Deo docente, in tantam divinarum humanarumque rerum eruditionem ac scientiam venit, ut scholae ecclesiasticae doctor exsisteret.» Opera eius maxima ex parte perierunt; quae ad nos pervenerunt partim dogmatica partim exegetica sunt. In exegesi omnino Origenis vestigiis adhaerebat. In lingua latina existit magna pars eius «In Epistolas canonicas enarrationis» et quaedam scholia in Psalmos et in 2. Cor.

S. Epiphanius († 403) ob linguarum scientiam πεντάγλωττος cognominatus, Origenistarum quidem adversarius fuit, sed Origenem in expositione s. Scripturae non semel sequitur. Huc spectant «Liber de Mensuris et ponderibus», et «Liber de duodecim gemmis», quibus rationale Summi Judaeorum Pontificis ornatum fuit. In libris polemicis «Panarium» et «Ancoratus» (ἀγκυρωτός) plures textus s. Scripturae dogmaticos explicat.

S. Cyrillus Alexandrinus († 444) multa opera exegetica composuit. In opere: «Libri septemdecim de adoratione in spiritu et veritate»

ostendit, legem mosaicam secundum litteram a Judaeis adimplendam fuisse, a Christianis autem spiritualiter; adorationem in spiritu typice praefiguratam fuisse in institutionibus Antiqui Foederis. Hoc opus in sua «Glaphyra» (γλαφυρά) complevit. Continui commentarii ab eo exstant in Isaiam, duodecim prophetas minores, et fragmenta in libros Regum, in Psalmos, Proverbia, Canticum, in prophetas Jeremiam, Baruch, Ezechielem, Danielem. In Novum Testamentum ad nos pervenit magna pars eius commentarii in Evangelium s. Joannis et fragmenta in Matthaeum, Lucam, Epist. ad Rom., 2. Cor., Epist. ad Hebraeos. In expositione sua allegoriis non parum indulget.

A schola alexandrina in multis dependent, sed etiam inter alexandrinam et antiochenam medium tenent tres Cappadociae doctores, s. Basilius, s. Gregorius Naz. et s. Gregorius Nyss.

S. Basilius Magnus († 379) praeter multa opera dogmatico-polemica, ascetica, homiletica etiam commentarios in s. Scripturam composuit. Celeberrimae sunt eius novem Homiliae in Hexaemeron, in quibus solum sensum litteralem sequitur et s. Scripturae narrationem cum scientia naturali sui temporis comparat. In multis ab Origene dependet in suis quindecim Homiliis super Psalmos. Eius commentarius in Jobum periit, de authentia commentarii in Js. 1—16, qui ei ab aliquibus attribuitur, dubitatur; videtur tamen tempore s. Basilii esse compositus.

S. Gregorius Nazianzenus († 389), s. Basilii amicus, teste Hieronymo «in Scripturis apprime eruditus» fuit, et s. Hieronymus gloriatur se eum in s. Scripturae explanatione praeceptorem habuisse (De vir. ill. 117; in Eph. 6, 31). Ad exegesim spectat una oratio, in qua Matth. 19, 1—17 explicat, et aliquot carmina (Lib. 1. carm. 12—28).

S. Gregorius Nyssenus († 394), s. Basilii frater et Gregorii Naz. amicus, iam plura opera exegetica scripsit, in quibus saepe Origenem, quem maximi habuit, sequitur. Ad cosmogoniam mosaicam referuntur «De hominis opificio» (*Περὶ κατασκευῆς ἀνθρώπου*) et «Liber in Hexaemeron» (*Ἀπολογητικὸς περὶ τῆς ἑξαημέρου*), in quorum primo quaedam a s. Basilio ommissa complet, in altero s. Scripturae narrationem et s. Basilii expositionem de opere sex dierum defendit. In hisce duobus operibus ipse gloriatur, se sensum litteralem nullibi in figuralem detorsisse. At in «libro de vita Moysis», in quo legislatorem israeliticum tamquam virtutum exemplar proponit, totus est in allegoriis describendis, quemadmodum et in tractatibus *Εἰς τὴν ἐπιγραφὴν τῶν ψαλμῶν*. In primo horum tractatuum ostendere conatur unitatem consilii in psalmorum ordine et in altero praecipue de psalmorum titulis inquirit. Praetera exstant ab eo conscriptae: «Homiliae octo in Ecclesiastem»; quindecim homiliae in Canticum Cant., tractatio «de Pythonissa», ubi ostendit eam non Samuelem, sed daemonem vidisse, qui Samuelis formam assumpsit; «De oratione» (*εἰς τὴν προσευχήν*), ubi

quinque homiliis orationem dominicam exponit; «homiliae octo de beatitudinibus».

§ 67.

Schola Antiochena.

Schola haec Antiochiae, Syriae occidentalis civitate, saec. 4. praesertim floruit; multo iunior est quam Alexandrina, cum nonnisi exeunte saeculo 3. fundata sit. Fundatores eius fuerunt presbyteri *Dorotheus* et *Lucianus,* et sub *Diodoro Tarsensi* († c. 394) magnam famam sibi acquisivit. Proprium huic scholae est sensum litteralem eruere ope grammaticae et historiae, omisso importuno allegoriarum studio. Breviter id refert Adrianus, ipse huius scholae discipulus, in sua *Εἰσαγωγή* (M. XCVIII p. 1310): «Qui alios docere profitentur, statuant in primis quidem rerum argumentum notum reddere se debere discipulis, quibus rebus necesse habent ipsorum ingenii acumen applicare; deinde idiomatum Scripturae cognitionem, figurarum notitiam, troporum distinctionem, nec minus secundum stylum interpretationis elucubrationem similiaque viae indicia proponere, per quae tutum et certum eis medium proponatur, ut ad finem perveniant. Etenim perspicuum est, quod iis, qui volare sed non per viam gradi volunt, vana et inutilis sit metarum indicatio.» Dolendum est, non omnes huius scholae interpretes in vera fide permansisse.

Interpretes s. Scripturae praecipui, qui ex hac schola prodierunt:

S. Joannes Chrysostomus († 407) sub Diodoro Tarsensi s. Litteras didicit et orator atque exegeta celeberrimus evasit. Scripta eius et soliditate eminent et claritate atque unctione spiritali. Methodo imbutus scholae Antiochenae sensum litteralem inquirit et evolvit, at typicum quoque, praesertim in A. Testamento, agnovit. In Genesin scripsit homilias septem et sexaginta, in libros Regum homilias quinque de Anna, tres de Davide et Saule. Psalmos quidem omnes in homiliis exposuisse videtur, at hucusque sola expositio 60 Psalmorum (4—12; 43—49; 108—117; 119—150) nota est. Supersunt etiam quaedam fragmenta expositionis libri Job et Proverbiorum, at non est certum, ea revera Chrysostomum habere auctorem. «De prophetiarum obscuritate» duas homilias habuit; Commentarius in Isaiam (1, 1—8, 10) ex eius homiliis videtur esse compositus; praeterea sunt ab eo 6 homiliae in Isaiae cap. 6. In Ieremiam et Danielem habentur fragmenta in Catenis.

Felicior fuit in interpretatione Novi Testamenti, cuius etiam plures libros exposuit, sc. Evangelium s. Matthaei, Evang. s. Joannis, Actus Apostolorum et omnes epistolas s. Pauli.

Theodorus Mopsuestenus († 429) cum s. Joanne Chrys. sub Libanio studio Rhetoricae se applicavit et amico adolescentiae suae etiam postea adhaerebat; sed in vera fide non tam firmus permansit. Nestorio enim

viam ostendit et in exegeticis quoque erravit, quare a Synodo V. oecumenica damnatus est. Viginti annos natus scripsit iam commentarium in Psalmos, et deinde totam s. Scripturam exposuisse dicitur (cf. Leont. De sectis 4, 3). Sed non omnia eius opera ad nos pervenerunt; in textu originali habemus tantum eius commentarium in prophetas minores. Eius expositio libri Job et Cantici Cant. a Concilio V. damnata est, quia horum librorum originem divinam negavit, librum Job dicens esse compositum ab aliquo Judaeo superbo, et Canticum Cant. nihil aliud esse, quam aemulationis nuptialis canticum mensale. Auctori Proverbiorum et Ecclesiastae nonnisi infimum inspirationis gradum attribuit, libros Chronicorum, Esdrae, Nehemiae et Jacobi epistolam non canonicam declaravit. In versione latina exstat eius expositio s. Pauli epistolarum ad Galatas, Ephes., Phil., Col., 1 et 2. Thes., 1 et 2. Tim., Tit., Philem. In versione syriaca conservatur eius commentarius in Evang. s. Joannis. Propter eruditionem et libros permultos a se conscriptos, a Nestorianis exegeta *κατ᾽ ἐξοχήν* appellatur.

S. Isidorus († 434) *Pelusiota* dictus, eo quod abbas fuit alicuius monasterii prope Pelusium in Aegypto, fuit s. Chrysostomi discipulus et eius in Scripturarum interpretatione imitator. Commentarium proprie dictum scripsisse non videtur, at nihilominus exegetis antiochenis adnumerandus est, quia in suis epistolis, quarum 2000 exaraverat, quam plurimos textus s. Scripturae iuxta principia scholae antiochenae exponit.

Theodoretus († 458) Cyri in Syria episcopus, s. Joannem Chrysostomum et Theodorum Mops. in interpretanda s. Scriptura secutus est ita, ut utriusque dotes in se coniungeret; operibus suis tale sibi nomen comparavit, ut primis Ecclesiae orientalis luminibus accenseatur. S. Scripturam duobus modis interpretatus est: per modum quaestionum et responsionum ad textus quosdam difficiliores et per modum commentarii continui. Ad primam categoriam spectant «Quaestiones in Octateuchum» (Pentateuchum, Josue, Judicum, Ruth), «in quatuor libros Regum» et «libros Paralipomenon»; Commentarii supersunt: in Psalmos, Canticum Cant., in omnes Prophetas et in epistolas s. Pauli. In hisce operibus multa ex aliis libris hausit, sed non fuit merus compilator.

§ 68.

Schola Nisibena et Edessena.

In Syria duae scholae floruerunt, una in parte eius orientali, altera in occidentali. Utraque schola in multis dependet a schola Antiochena; exegetae syriaci eruunt sensum litteralem, sed etiam spiritualem admittunt et accomodationes adhibent. Schola Edessena, iam saec. 2. fundata, praecipue saec. 4. floruit.

Aphraates monachus et episcopus in monasterio Sancti Matthaei (non longe ad orientem a civitate Mosul) in primo dimidio saec. 4

scripsit 22 homilias,[1]) argumenti dogmatici et ascetici, in quibus saepissime etiam textus ex S. Scriptura allegat et exponit.

S. Ephraemus († 373), Edessenae ecclesiae diaconus, quam plurima scripta reliquit, inter quae opera exegetica primum tenent locum et tanti sunt pretii, ut auctor eorum a Syris «Syrorum propheta», «Ecclesiae columna», «Spiritus sancti Lyra» etc. cognominaretur. In lingua syriaca supersunt eius commentarii in Genesim et Exodum in forma sua primitiva. Ex ceteris commentariis fragmenta inveniuntur in Catena, quam Severus monachus Edessenus ca an. 851—861 composuit. Ex commentariis in Novum Testamentum habetur in versione armeniaca commentarius in libros Paralipomenon, in Tatiani Diatessaron et in epistolas Paulinas (excepta ep. ad Philem.); praetera in catenis inveniuntur alia fragmenta. S. Ephraemus exponit textum Pesittae, exceptis Evangeliis, ubi adhibet Tatiani Diatessaron. In multis scholae antiochenae affinis, dat tamen typo campum valde amplum. In suis sermonibus et hymnis favet praesertim expositioni allegoricae.

Praeter hos duos multi alii s. Scripturam in suis hymnis et sermonibus exposuerunt: notatu digniores sunt: *Cyrillonas, Balaeus, Rabulas, Isaacus Magnus* etc.[2])

§ 69.

Interpretes latini a 3. usque ad 6. saeculum.

Apud Occidentales quidem non prodierunt tot commentarii sicut apud orientales, nihilominus Leo XIII. merito scribere potuit: « . . . Neque id praeclare minus apud occidentales. In multis, qui se admodum probavere, clara Tertulliani et Cypriani nomina, Hilarii et Ambrosii, Leonis et Gregorii magnorum; clarissima Augustini et Hieronymi: quorum alter mire acutus exstitit in perspicienda divini verbi sententia uberrimeque in ea deducenda ad auxilia catholicae veritatis, alter a singulari Bibliorum scientia magnisque ad eorum usum laboribus, nomine Doctoris maximi praeconio Ecclesiae est honestatus» (Prov. Deus).

Quemadmodum orientales ita occidentales quoque duplicem sensum s. Scripturae admiserunt: alterum litteralem, alterum mysticum; sed non omnes eodem modo in eo eruendo procedunt, cum alii sensui litterali alii spirituali magis faveant.

Tertullianus natus a. 160, licet ab an. c. 202. Montanistarum sectae nomen dederit, a nobis non est omittendus. Frequentissime enim ss. Libros allegat et exponit, praesertim in operibus: «adv. Judaeos» et «contra Marcionem».

---

[1]) Optima editio in *Patrologia syriaca*, I. Paris 1894.

[2]) Cf. *G. Bickell*, Conspectus rei Syrorum literariae. Monast. 1871. *W. Wright*, A short history of syriac literature. London 1894.

S. Cyprianus († 258) tam in libris quam in epistolis suis s. Scripturam saepe exponit. Nominandi sunt praecipue: «Testimoniorum libri adv. Judaeos», Epistola «Ad Fortunatum de exhortatione martyrii», «De catholicae Ecclesiae unitate», «De Dominica oratione».

Victorinus Petabionensis († ca 303) primus commentarios in sermone latino composuit. «Non aeque latine ut graece noverat; unde opera eius grandia sensibus, viliora videntur compositione verborum. Sunt autem haec: Commentarii in Genesim, in Exodum, in Leviticum, in Isaiam, in Ezechiel, in Habacuc, in Ecclesiasten, in Cantica Cant., in Apocalypsin Joannis» (S. Hier. De vir. ill. 74). Ex omnibus hisce operibus nonnisi commentarius in Apocalypsin ad nos pervenit duplici in versione, una breviore, altera magis extensa. Origenem quidem sequitur, at non modo caeco.

S. Hilarius Pict. († 367) in suo commentario in Evangelium s. Matthaei supponit in tota s. Scriptura rationem typicam et hanc praecipue inquirit. Magis litteram sequitur in suo commentario in Psalmos (Tractatus super Psalmos). Ex «Tractatu in Job», qui teste Hieronymo erat potius versio ex Origene adornata, duo fragmenta conservantur. Praeclare exponit multos textus s. Scripturae in suis «Libris duodecim de Trinitate».

S. Ambrosius († 397) praeter alia multa etiam opera exegetica reliquit, in quibus suas homilias ad populum habitas deposuit. Sensum allegoricum praecipue quaerit, dependens in hoc a Philone, Origene, s. Basilio. Opera eius exegetica sunt: Hexaemeron libri sex, De Paradiso, De Cain et Abel libri duo, De Noe et arca, De Abraham libri duo, De Isaac et anima, De bono mortis, De fuga saeculi, De Jacob et vita beata libri duo, De Joseph patriarcha, De benedictionibus patriarcharum, De Elia et ieiunio, De Nabuthe Jezraelita, De Tobia, De interpellatione Job et David libri quattuor, Apologia prophetae David, Apologia altera prophetae David, Enarrationes in duodecim Psalmos Davidicos, Expositio in ps. 118., Expositio Esaiae prophetae (deperdita), Expositio Evangelii secundum Lucam libris decem comprehensa (opus maximum s. Ambrosii). Opera s. Ambrosii concionatoribus utilissima sunt.

Ad calcem operum s. Ambrosii refertur et olim s. Ambrosio adscribebatur commentarius in Epistolas Paulinas, qui tempore recentiore a criticis *Pseudo-Ambrosio* (Ambrosiastro) tribuitur.

Tyrannius Rufinus († 410) de exegesi bene meritus est non eo quod ipse s. Scripturam interpretatus esset, sed quia aliorum, praesertim Origenis et s. Basilii, quaedam opera exegetica sermone latino donavit. Commentarii super Pss. 1—75 et super prophetas Osee, Ioel, Amos ei prius immerito adscribebantur.

S. Hieronymus († 420), in schola interpretum graecorum et imprimis a S. Gregorio Naz. educatus, talem sibi libris exegeticis quam

plurimis et eruditissimis famam acquisivit, ut primum locum teneat inter occidentales, et Ecclesia eum laudet, quia

Sacrosanctum Scripturarum
Abyssalem fluvium
In torrentem quam praeclarum
Auxit et praeconium,
Effundendo rebus planum
Quod erat tam asperum.[1])

Hic «in exponendis Scripturis doctor maximus» (ut dicit oratio in eius festo) non solum Vetus Testamentum in linguam latinam vertit et textum librorum Novi Testamenti correxit, sed omnium s. Scripturae librorum expositionem promovit, tum commentarios aliorum vertens tum, idque praecipue, novos componens. Vertit Origenis homilias 14 in Jeremiam, 14 in Ezechielem, 2 in Canticum Cant., 39 in Lucam; porro Philonis «Librum interpretationis hebraicorum nominum» et Eusebii «De situ et nominibus locorum hebraicorum librum». Sua propria scripta an. 392 sequenti modo enumerat (De vir. ill. c. 135): «Scripsi . . . de Seraphim (in Is. c. 6), de Osanna et de frugi et luxurioso filiis, de tribus quaestionibus legis veteris . . . in epistolam Pauli ad Galatas commentariorum libros 3, item in epistolam ad Ephesios libros 3, in epistolam ad Titum librum unum, in epistolam ad Philomenem librum unum, in Ecclesiasten commentarios, quaestionum hebraicarum in Genesim librum unum, in psalmos 10—16 tractatus 7, . . . scripsi praeterea in Michaeam explanationum libros 2, in Sophoniam librum unum, in Nahum librum unum, in Habacuc libros 2, in Aggaeum librum unum multaque alia de opere prophetali, quae nunc habeo in manibus et necdum expleta sunt». Serius in omnes prophetas maiores commentarios scripsit, et in Evangelium s. Matthaei. S. Hieronymum autem auctorem non habent: Breviarium in Psalmos, Quaestiones hebraicae in libros Regum et in libros Paralipomenon, Commentarii in Evangelia, Commentarii in epistolas s. Pauli.

S. Hieronymus ubique sensum litteralem quaerit, at prout necesse est, non negligit «super fundamenta historiae spirituale exstruere aedificium» (Com. in Is. l. 6. praef.). Quia quandoque nimis festinanter scripsit, inveniuntur apud eum etiam quaedam obscuritates, et quandoque etiam contradictiones inde ortae, quod aut suam opinionem mutavit aut aliorum dicta proposuit, quin lectorem de hoc admoneret.

S. Augustinus († 430), episcopus Hipponensis, post s. Hieronymum primum inter s. Scripturae interpretes locum occupat. Non erat quidem iisdem instructus mediis ad sensum eruendum, quibus s. Hieronymus, at nihilominus utilissimus est iis, qui sensum s. Scripturae quaerunt. Agit magis dogmaticum et concionatorem quam exegetam, indeque diversus

---

[1]) *G. M. Dreves* S. J.: Spanische Hymnen des Mittelalters. Lips. 1894 p. 149.

procedendi modus: in operibus enim dogmaticis sensum litteralem prae mystico quaerit, in concionibus suis praesertim spiritualem et lingua utitur magis vulgari; dicebat enim: «Malo, ut me reprehendant grammatici quam non intelligant populi; eligens magis in barbarismis etiam damnantibus Grammaticis intelligi, quam in mea disertitudine auditores deserere». Eius quatuor libros «De Doctrina christiana» supra tetigimus.

Genesim quater exponere conatus est, primum opere «De Genesi contra Manichaeos». Quia autem in hac prima expositione parum ad litteram attendit, suscepit aliam interpretationem, quam tamen non perfecit: «De Genesi ad litteram imperfectus liber»; deinde in tribus ultimis libris suarum Confessionum denuo explanavit Cosmogoniam mosaicam, cui brevi successit opus «De Genesi ad litteram libri duodecim», in quibus tamen nonnisi ad Adami e paradiso expulsionem pervenit. Reliqua eius opera exegetica sunt: «Locutionum libri septem» (in Pentateuchum, Jos., Judic.), «Quaestionum in Heptateuchum libri septem», «Adnotationum in Job liber unus», «Enarrationes in Psalmos», «De consensu Evangelistarum libri quatuor», «De sermone Domini in monte (in c. 5—7 s. Matth.), «In Joannis Evangelium tractatus 124», «In Epistolam Joannis ad Parthos (i. e. 1. ep. s. Joan.) tractatus 10», «Expositio quarundam propositionum ex epistola ad Romanos», «Epistolae ad Romanos inchoata expositio», «Epistolae ad Galatas expositio», «Expositio epistolae Jacobi» (deperdita).

M. Aurelius Cassiodorus († 570) sub gothorum regibus summos honores adeptus, sexagenarius in monasterium Vivariense in agris suis exstructum se recepit, ubi suos monachos erudiebat et hunc in finem etiam opera scripsit, inter quae liber «Institutiones divinarum et saecularium lectionum» eminet. In eo monachis suis ostendit, quomodo ad Librorum sacrorum intelligentiam pervenirent. Ut regulas collectas exemplis illustraret, duo alia opera composuit, sc. «Complexiones in psalmos», in quibus s. Augustinum sequitur, et «Complexiones in Epistolas et Acta Apostolorum et Apocalypsin».

S. Gregorius Magnus († 604) unus e maximis Ecclesiae doctoribus etiam s. Scripturam interpretatus est ea methodo, quam ipse indicat: «prius historiae radix est figenda, ut valeat mens postea de allegoriarum fructu satiari» (In Evang. hom. 40, 1). Principalia eius opera exegetica sunt: «Expositio in librum Job sive Moralium libri 35», «Homiliae 22 in Ezechielem», «Homiliae 40 in Evangelia».

§ 70.

Reliqui interpretes usque ad tempus scholasticorum.

«Ex eo tempore ad undecimum usque saeculum, quamquam huiusmodi contentio studiorum non pari atque antea ardore ac fructu viguit, viguit tamen, operâ praesertim hominum sacri ordinis. Curaverunt enim aut quae veteres in hac re fructuosiora reliquissent deligere,

eaque apte digesta de suisque aucta pervulgare, ut ab Jsidoro Hispalensi, Beda, Alcuino factum est in primis; aut sacros codices illustrare glossis, ut Valafridus Strabo et Anselmus Laudunensis, aut eorumdem integritati novis curis consulere, ut Petrus Damianus et Lanfrancus fecerunt. Saeculo autem duodecimo allegoricam Scripturae enarrationem bona cum laude plerique tractarunt: in eo genere S. Bernardus ceteris facile antecessit, cuius etiam sermones nihil prope nisi divinas Litteras sapiunt» (Prov. Deus).

Etsi neque hoc tempore studia biblica neglecta iacerent, tamen rerum circumstantiae eis minus favebant, ita ut pauci commentarii proprii componerentur, sed potius catenae et glossae e ss. Patrum libris conflarentur.

Apud *Graecos* huius temporis[1]) exegetae notatu digniores:

Procopius Gazaeus († ca 528) primus fuit, qui catenam (in Octateuchum) e Patrum dictis composuit, quod opus quidem deperditum est, at videtur constituisse fundamentum illius catenae, quam Nicephorus an. 1772—1773 Lipsiae edidit. Aliorum operum, quae sub eius nomine circumferuntur, origo dubia est.

Anastasius Sinaita († ca a. 700) praeter alia opera varia scripsit duas homilias in Ps. 6. et Considerationes anagogicas in Hexaemeron (εἰς τὴν πνευματικὴν ἀναγωγὴν τῆς ἑξαημέρου κτίσεως).

S. Joannes Damascenus († ca 750), a Graecis χρυσορρόας cognominatus, in suis operibus dogmaticis et polemicis saepius textus s. Scripturae exponit. Scripsit etiam commentarium in s. Pauli Epistolas, in quo praecipue s. Chrysostomum, interdum etiam Theodoretum Cyrensem et Cyrillum Alexandrinum excerpit.

Photius († ca 891) in suis Quaestionibus ad Amphilochium permultas quaestiones scripturisticas tractat; in sua Bibliotheca seu Myriobiblio conservavit excerpta multorum operum exegeticorum nunc deperditorum. Praeterea scripsit commentarium in Evangelium s. Lucae, et in catenis leguntur fragmenta eius expositionis in alios Novi Testamenti libros.

Euthymius Zigabenus († 1118) in suis Panopliis dogmaticis, in quibus omnes haereses tunc notas refellit, saepius de s. Scriptura loquitur eamque inspiratam esse asserit. Reliquit etiam commentarios in Psalterium et Evangelia quibus multam sibi tam apud occidentales quam apud orientales laudem comparavit.

Interpretes *latini* huius temporis praecipui:

S. Isidorus Hisp. († 636) talem sibi scientia sua famam comparavit, ut in synodo 8. Toletana (an. 653) diceretur: «nostri saeculi doctor egregius, Ecclesiae catholicae novissimum decus, praecedentibus aetate

[1]) De exegetis graecis, qui ab a. 527—1453 scripserunt cf. *Karl Krumbacher:* Geschichte der byzantinischen Litteratur von Justinian bis zum Ende des oströmischen Reiches. 2 ed. Monaci 1897 p. 122 ss. et 206 ss.

postremus, doctrinae comparatione non infimus et, quod maius est, in saeculorum fine doctissimus» (Mansi, ss. Conc. Coll. X, 1215). Opera eius exegetica sunt: «De ortu et obitu patrum, qui in Scriptura laudibus efferuntur», ubi historia personarum illustrium A. et N. Testamenti refertur; «Allegoriae quaedam sacrae Scripturae», ubi rationem typicam praecipuarum personarum A. Testamenti exponit; «Liber numerorum, qui in sanctis Scripturis occurrunt» agit de mystica numerorum s. Scripturae significatione; «In libros veteris ac novi Testamenti prooemia», «De veteri et novo Testamento quaestiones»; «Mysticorum expositiones sacramentorum seu quaestiones in vetus Testamentum».

Venerabilis Beda († 735), talem sibi famam comparavit, ut in proverbium apud coaevos abierit: «hominem, in extremo orbis angulo natum, universum orbem ingenio suo perstrinxisse.» In suis scriptis multa quidem e Patrum operibus collegit, at sua quoque permulta addit. De sensuum divisione iam eo modo loquitur, quo scholastici; ita in opere suo «de tabernaculo» scribit: «Historia est, cum res aliqua, quomodo secundum litteram facta sive dicta sit, plano sermone refertur. Allegoria est, cum verbis sive rebus mysticis praesentia Christi et Ecclesiae sacramenta signantur. Tropologia i. e. moralis locutio ad institutionem et correctionem morum sive apertis sive figuratis prolata sermonibus respicit. Anagoge i. e. ad superiora ducens locutio, quae de praemiis futuris et ea, quae in coelis est, vita futura sive mysticis sive apertis sermonibus disputat.» Commentarii eius in s. Scripturam perutiles sunt exegetae et concionatori, etsi in expositione A. Testamenti interdum allegoriis plus iusto indulgeat.

Alcuinus († 804), quem Carolus M. scholae suae palatinae praefecit, ut studia in regno suo promoveret, non solum Vulgatae emendandae operam dedit, sed etiam quam plurimos commentarios scripsit, in quibus Patrum opiniones referre solet. Scripsit: «Responsiones ad quaestiones de Genesi», «Enchiridion, seu expositio brevis ac pia in Psalmos poenitentiales, in Ps. 118 et graduales», «Compendium in Canticum Cant.», «Commentaria super Ecclesiasten», «Commentaria in S. Joannis Evangelium», «Explanatio in Pauli epistolas ad Titum, Philem., ad Hebraeos», «Commentariorum in Apocalypsim libri quinque.»

Haymo Halberstadiensis († 855) et *Rabanus Maurus* († 856), Alcuini discipuli, in exponenda s. Scriptura magistri sui exemplum secuti sunt.

Walafridus Strabo († 849), abbas monasterii Augiensis, auctor est «Glossae», quae ob generalem apud scholas et scriptores medii aevi usum «ordinaria» nuncupatur, et ex Hieronymi, Augustini, Gregorii M., Isidori Hisp., Bedae Ven., aliorumque interpretum allegationibus constat.

Anselmus Laudunensis († 1117) aliam Glossam composuit, quae «interlinearis» vocatur, quia inter lineas textus s. Scripturae breves

notas e Patrum operibus collectas continet. Haec nunquam eadem, qua «glossa ordinaria» fama gavisa est.

E reliquis nominandi sunt: *Rupertus Tuitiensis* († 1135), *Hugo a S. Victore* († 1141), *Petrus Abaelardus* († 1142), praesertim vero *S. Bernardus Claravall.* († 1158), qui etsi commentarios proprie dictos non scripsit, permultos tamen textus s. Scripturae, inprimis ex Cantico Cant. et Evangeliis, exposuit. Mira est eius sagacitas et profunditas in sensu mystico eruendo et proponendo.

§ 71.

Interpretes scholastici.

«Sed nova et laetiora incrementa ex disciplina accessere Scholasticorum. Qui, etsi in germanam versionis latinae lectionem studuerunt inquirere, confectaque ab ipsis «Correctoria biblica» id plane testantur, plus tamen studii industriaeque in interpretatione et explanatione collocaverunt. Composite enim dilucideque, nihil ut melius antea, sacrorum verborum sensus varii distincti; cuiusque pondus in re theologica perpensum; definitae librorum partes, argumenta partium; investigata scriptorum proposita; explicata sententiarum inter ipsas necessitudo et connexio: quibus ex rebus nemo unus videt, quantum sit luminis obscurioribus locis admotum. Ipsorum praeterea de Scripturis lectam doctrinae copiam admodum produnt, tum de theologia libri tum in easdem commentaria; quo etiam nomine *Thomas Aquinas inter eos habuit palmam*» (Prov. Deus). Omnino iniuste protestantes tempori illo per respectum ad exegesim applicant illud poetae: «Ponto nox incubat atra». Concedimus quidem scholasticos nondum habuisse omnes illas notitias historicas, archaeologicas, geographicas, philologicas, quas temporis recentioris, huiusmodi rebus plus faventis, exegetae possident; at mira est illa diligentia et acuitas, qua scholastici interpretes gaudebant. Inde fit, ut eorum commentarii hucusque maxime utiles sint, cum e contra multorum recentiorum, qui de scholasticorum «tenebris» disserunt, opera exegetica iure oblivioni dentur. [1])

Liceat hic iam breviter dicere, *ordinis s. Dominici alumnos* in rebus exegeticis primas partes habuisse; non enim solummodo plus quam septingenti eorum commentarios in s. Scripturam conscripserunt, sed primi multis in rebus vias novas aperuerunt, directiones sequendas

---

[1]) In medio aevo s. Scriptura erat Alpha et Omega omnis studii theologici; ab ea enim incipiebant, ea finis etiam erat doctrinae. Doctores theologiae in facultate Parisiensi, Viennensi et alibi ut textum, quem exponebant, adhibebant solam s. Scripturam. Propterea etiam Doctores Theologiae tunc temporis «Doctores in sacra Pagina» appellabantur. Cf. hac de re *P. H. Denifle*, O. Praed. «Quel Livre servait de base à l'enseignement des Maîtres en Théologie dans l'université de Paris», in «Revue Thomiste» 1894. p. 149 ss. —

ceteris exegetis indicantes. Sancti enim Fundatoris sui, qui s. Scripturam continuo in plurimis suis peregrinationibus portabat, legebat, exponebat, vestigia secuti, omnium primi s. Scripturam in capita hodierna diviserunt, primi concordantias conscripserunt, primi Rabbinorum scriptis usi sunt, primi e christianis grammaticam linguae hebraicae confecerunt, primi polyglotta ediderunt, primi introductionem in s. Scripturam, ut hodie vox usurpatur, introduxerunt, primi post s. Hieronymum totam Scripturam e lingua originali verterunt, quemadmodum et recentissime primam academiam biblicam Hierosolymis et primam ephemeridem catholicam unice exegesi destinatam fundarunt.

Etsi aliqui exegetarum paragrapho praecedenti enumeratorum iam ad scholasticorum aevum pertineant, non huc eos referimus, quia in eorum libris nondum ea methodus scribendi apparet, quae apud scholasticos existebat. A Magistro Sententiarum incipimus, cum eius textui scholastici in multis adhaeserint.

Praecipui interpretes huius temporis sunt:

Petrus Lombardus († 1164), «Magister Sententiarum», qui praeter Sententiarum opus celeberrimum scripsit «Glossas in Psalmos» et «Collectanea in epistolas Pauli». In primo opere Anselmi Laudunensis glossam interlinearem fusius evolvit, in altero Patrum sententias refert, expositionesque dogmaticas addit, scholasticorum more distinguens et subdistinguens.

Cardinalis *Stephanus Langton* († 1228) Ord. Praed., ille fuit, qui S. Scripturam in capita ea, quae hodie adhuc in usu sunt, divisit. [1])

Cardin. *Hugo a S. Caro* († 1260) Ord. Praed., pluribus nominibus laudandus est. Ipse non parvam operam impendit textui Vulgatae corrigendo. Cum enim Correctorium, quod facultate theologica Parisiensi collectum fuit, viris eruditis ob diversos naevos displiceret, Hugo a S. Caro aliud conscripsit, quod a capitulo generali ordinis s. Dominici (1256) ut «Correctorium Dominicanorum» approbatum, et a Theologis receptum fuit. Primus etiam fuit, qui Concordantias in s. Scripturam composuit, cuius operis tanta est utilitas, ut ad instar ipsius etiam in textum graecum et hebraeum similia opera fuerint adornata. Scripsit etiam Postillas in utriusque Testamenti libros, quae clara sensus litteralis et allegorici distinctione excellunt. [2])

B. Albertus Magnus († 1280), Ord. Praed., s. Thomae Aqu. magister, exposuit Psalmos, Threnos, Danielem, Prophetas minores, quatuor Evangelia, Apocalypsin. «In Psalmis explicandis parum ad historiam attendit

---

[1]) Cf. *P. H. Denifle* O. Praed., in «Archiv für Literatur- und Kirchengeschichte», IV. pag. 290.

[2]) De Hugone a S. Caro et ceteris exegetis ex ordine s. Dominici v. *Quetif et Echard:* Scriptores Ordinis Praedicatorum, Lutetiae Paris. 1719. —

omniaque aut allegorice de Christo aut tropologice explicat; in Prophetis, etsi allegorias et morales applicationes satis frequenter afferat, diligentius tamen literae inhaeret; in Evangeliorum demum explicatione nescis annon meliores interpretes aequaverit; omnia et singula vocabula diligenter excutit, ad nexum accurate attendit, dogmata subtiliter eruit; sed forte nimis diffuse aliquoties ab haereticorum obiectionibus illa vindicat, ut dogmatici theologi potius, quam interpretis partes agere videatur». [1])

S. Thomas Aquinas († 1274) Ord. Praed., «Doctor Angelicus», non tantum in philosophicis et theologicis alios scholasticos superavit, sed etiam tamquam exegeta inter eos «palmam habuit». In scriptis suis exegeticis velut apis argumentosa, quae praedecessores vera proposuerunt, collegit et felici ingenio nova, sublimia addidit, textum s. Scripturae acute dividens atque litteram eius erudite evolvens. Eius «Catena aurea» inter reliquas catenas primum locum tenet; praeterea exposuit: librum Job, quinquaginta primos Psalmos, Canticum Cant., Isaiam, Evangelia Sanctorum Matthaei et Joannis et Epistolas S. Pauli.

S. Bonaventura († 1274), O. Min., «Doctor Seraphicus» plura opera exegetica reliquit in forma quidem minus scholastica, sed ad aedificandum valde efficaci; sunt sequentia: «Breviloquium», in cuius prooemio quaedam de s. Scripturae interpretatione principia docet, «Principium s. Scripturae», «Illuminationes Ecclesiae in Hexaemeron», «Summa Expositionis in Psalterium», commentarii in Ecclesiasten, Sapientiam, Threnos, Evangelia SS. Lucae et Joannis, Apocalypsin.

Raymundus Martinus († 1290) Ord. Praed., commentarium in S. Scripturam quidem non composuit, at nullo modo est hic omittendus, cum, linguarum hebraicae et chaldaicae peritissimus, opus composuerit: «Pugio fidei adversus Mauros et Judaeos», ut praedicatoribus esset quasi pugio quidam ad veritatem christianam defendendam. Est vero utilis non tantum praedicatoribus sed et exegetis, cum Raymundus fidei dogmata non solum ex textu hebraico s. Scripturae sed primus etiam ex rabbinorum scriptis defendat. [2])

Nicolaus de Gorham († 1295), O. Praed., fere totam s. Scripturam interpretatus est: eius Postillae in Evangelia saepius impressae prodierunt, et eius commentarii in Epistolas Catholicas ut s. Thomae Aqu. opera non raro editi fuerunt.

Petrus de Palude († 1342), Ord. Praed., patriarcha Hierosolymitanus et ordinis sui ornamentum perpulchrum, s. Scripturam universam inter-

---

[1]) *P. Cornely* S. J. l. c p. 657 s. —

[2]) Eum textus rabbinorum nunquam existentium attulisse quidam garriebant; *A. Neubaur* in opere «The book of Tobit» (Oxford 1877. p. XVIII ss.) horum accusationem falsam esse probavit Raymundus Mart. scripsit etiam «Castrum Judaeorum», cuius Mss. in bibliotheca Bononiensi asservatur.

pretatus est. Libri eius nondum typis editi per diversas Europae bibliothecas sparsi inveniuntur.

Ordo s. Dominici an. 1250, in capitulo generali ordinavit, ut «studium arabicum, hebraicum, graecum» in Dominicanorum collegiis institueretur, [1]) quod Summus Pontifex Clemens V in Concilio Viennensi (1311) etiam ad alias academias extendit. Praecepit enim, ut linguarum orientalium cathedrae cum Romae tum in universitatibus Parisiensi, Salmanticensi, Oxoniensi, Bononiensi erigerentur eo fine, ut theologi catholici Judaeorum et Mahummetanorum obiectiones refellerent. Hoc modo etiam studia scripturistica non parum promota sunt.

Eodem tempore scripserunt:

Aegidius de Columna († 1316), O. Aug., s. Thomae Aqu. discipulus; scripsit in Hexaemeron, in Canticum canticorum, in Epistolam ad Romanos.

Petrus Aureolus († 1322), O. Min., scripsit «Breviarium Bibliorum», quod saepe typis editum fuit.

Ludolphus de Saxonia († 1335), O. Carth., scripsit «Vitam Domini Nostri Jesu Christi» et «Commentarium in Psalmos Davidicos iuxta spiritualem sensum».

Thomas Anglicus († 1340), O. Praed., exposuit Genesin, Jeremiam, Threnos, Danielem, libros Maccabaeorum.

Nicolaus Lyranus († 1340), O. Min., postillam composuit, quae se ad universam S. Scripturam extendit, quibusdam partibus deuterocanonicis exceptis. Opus hoc eximium Lutherus non semel excerpsit, ita ut in proverbium venerit: «Si Lyra non lyrasset, Lutherus non saltasset.» [2])

Robertus Holcoth († 1349), O. Praed., libros sapientiales interpretatus est, et eius «Praelectiones in librum Sapientiae» tanti sunt pretii, ut iam plus quam vigesies typis editi fuerint.

Petrus de Herenthals († c. 1400), O. Praem., composuit «Catenam in universos Psalmos».

Joannes Gerson († 1429), qui doctissimus sui temporis consideratur, exposuit Psalmos et Canticum Cant.; sed praecipuas laudes meretur ob suas «Propositiones de sensu literali Scripturae et de causis errantium», in quibus docte disserit de s. Scripturae sensibus et quomodo eruantur.

---

[1]) Cf. *C. Douais,* Essai sur l'organisation des Etudes dans l'ordre des Frères Prêcheurs 1216—1342. Paris. 1884 p. 139.

[2]) Lyrani postillae saec. 15. *Paulus Burgensis,* Patriarcha Aquileiensis, adiunxit «Additiones», contra quas scripsit *Matthias Thoringus,* O. Min.

Alphonsus Tostatus († 1455), episcopus Abulensis, fere omnes libros sacros exposuit in commentariis prolixis quidem, sed multa utilia continentibus.

Ex reliquis commemorandi sunt: *Laurentius Valla* († 1457), ob «Adnotationes in Novum Testamentum», *Joannes de Turrecremata* († 1468), O. Praed. et Cardinalis, propter suos in Psalmos, Evangelia et Epistolas Paulinas commentarios, *Dionysius Carthusianus* († 1471), qui universam s. Scripturam exposuit.

§ 72.

Interpretes catholici recentiores.

«Revecta deinde ad nos eruditione Graecorum, multoque magis arte nova libraria feliciter inventa, cultus Scripturae sanctae latissime accrevit. Mirandum est enim, quam brevi aetatis spatio multiplicata proelo sacra exemplaria, vulgata praecipue, catholicum orbem quasi compleverint: adeo per id ipsum tempus, contra quam Ecclesiae hostes calumniantur, in honore et amore erant divina volumina» (Prov. Deus).

Hoc tempore *Petrus Niger* († c. 1490), O. Praed., primus inter christianos scripsit grammaticam linguae hebraicae (Rudimentum linguae hebraicae), quam simul cum opere «De conditionibus veri Messiae» edidit. Eum in novo opere secuti sunt *Conradus Pellicanus* et *Joannes Reuchlin*.

Brevi post (an. 1516) *Augustinus Justinianus*, O. Praed., prima Polyglotta [1]) edidit «Octaplus Psalterii», in quibus exhibetur Psalmorum textus hebraeus, graecus, arabicus, chaldaicus, duo latini et scholia. Opus hoc, quod decem annis antea ad edendum iam praeparatum habuit (cf. litteras Jacobi Antiquarii in prima pagina edit. Genuensis), Summo Pontifici Leoni X. dedicavit. Eodem modo maxima cum diligentia praeparavit ceteros utriusque Testamenti libros, qui tamen non fuerunt typis impressi. Scripsit etiam opus: «Liber Job nuper hebraicae veritati restitutus cum duplici versione latina», Paris 1516 editum.

---

[1]) «Augustinus, ex illustri Justinianorum familia, praedicatorii ordinis professor observantissimus, theologus sincere doctus et linguarum omnium, quae toto terrarum orbe dispersae sunt, peritissimus, novo et ingenti ausu primus omnium utrumque sacrae legis instrumentum quinque praecipuis linguis: hebraea, chaldaea, graeca, latina et arabica, in unum corpus *Octapla* inscriptum redegit». (Sixt. Senensis, l. c. pag. 384.). Polyglotta haec priora fuisse Complutensibus, colligi potest etiam ex iis, quae *C. Tischendorf* scribit in opere «Novum Testamentum graece» vol. 3. ed. Lips. 1894 p. 205 s.: «Tomus quintus, Bibliorum N. T. graece et latine continens, editoribus Jacobo Lopez de Stunica, Ferdinando Nunez de Guzman, Demetrio Duca Cretensi, Antonio Nebrissensi, a prelo die 10 mensis ianuarii anni 1514 exiit (tomi 6 et 1—4 posthac impressi, die 10 iulii anni 1517 absoluti sunt), tamen primum die 22 martii anni 1520 accepta est papae Leonis X approbatio. Non videntur exemplaria ante annum 1522 distributa esse.»

Desid. Erasmus Roterd. anno 1516. Basilaeae edidit textum graecum N. Testamenti, et anno insequente *Card. Chimenez* Ord. Min. terminavit magnum suum opus Polyglottorum Complutensium.

Thomas de Vio Cardinalis Caietanus († 1535) O. Praed., scriptis suis theologicis, praecipue commentario in S. Thomae Summam theologicam, clarissimus ultimis vitae suae annis etiam s. Scripturam interpretatus est, et quidem e textu originali. Ipse linguae hebraicae et graecae ignarus, Antiquum Testamentum ex hebraeo ab aliquo iudaeo, Novum ab alio homine philologo vertendum curavit. Exposuit omnes Libros sacros, exceptis Apocalypsi, Cantico Cant., libris deuterocanonicis et libris propheticis, his ultimis, quia mors supervenit. Rationem suorum commentariorum ipse exponit in praefatione ad quinque libros mosaicos: «Scripturus super quinque libros Moysi iuxta sensum literalem novumque Scripturae sensum quandoque illaturus, sub sanctae Matris Ecclesiae ac Apostolicae Sedis censura, rogo lectores omnes. ne praecipites detestentur aliquid, sed librent omnia apud sacram Scripturam, apud christianae fidei veritatem, apud catholicae Ecclesiae documenta ac mores. Et si quando occurrerit novus sensus textui consonus, nec a sacra Scriptura nec ab Ecclesiae doctrina dissonus, quamvis a torrente Doctorum sacrorum alienus, aequos se praebeant censores. Meminerint ius suum unicuique tribuere: solis sacrae Scripturae auctoribus reservata est auctoritas haec, ut ideo credamus sic esse, quia ipsi ita scripserunt, alios autem (inquit Augustinus) ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo credam sic esse, quia ipsi ita scripserunt. Nullus itaque detestetur novum sacrae Scripturae sensum, ex hoc quod dissonat a priscis doctoribus, sed scrutetur perspicacius textum ac contextum Scripturae et si quadrare invenerit, laudet Deum, qui non alligavit expositionem Scripturarum sacrarum priscorum doctorum sensibus, sed Scripturae ipsae integrae sub catholicae Ecclesiae censura [1]). Alioquin spes nobis ac posteris tolleretur exponendi Scripturam sacram, nisi transferendo (ut aiunt) de libro in quinternum. Ego iam senex non novitatis sed veritatis solius amore allectus, opus hoc aggredior in holocaustum omnipotenti Deo, ad accendendum aliorum mentes erga Sacras Scripturas. Det Dominus Jesus Christus, ut assequar intentum; intendo autem iuxta hebraicam veritatem textum exponere, ubi diversa occurrerit sententia in vulgata editione et in hebraico textu; nam ipsius Mosis textus, non interpres eius exponendus est. Non enim interpretis graeci aut latini, sed ipsius tantum hebraei textus auctoritas est, quam complecti cogimur et complectimur fideles omnes». Caietanum scriptis exegeticis gloriam suam, quam theologicis acquisiverat, obscurasse dicunt plures, immo Palavicinius asserit, Caietanum e scriptis eius exegeticis aestimare idem esse ac pavonis pulchritudinem non ex pennis sed ex

---

[1]) Cajetanus non loquitur de Patrum unanimi consensu, sed de eorum opinionibus ut sunt particulares doctores, et de rebus scientificis, non fidei et morum.

pedibus aestimare.[1]) Quod iudicium ei, qui Caietani commentarios legerit, durum et iniustum videbitur, dummodo consideret, Caietanum textum hebraeum et graecum s. Scripturae e versionibus interdum certe defectuosis exposuisse.

Santes Pagninus († 1541), O. Praed., celeberrimus est sua «Veteris et Novi Testamenti nova translatione», quae post s. Hieronymum prima adornata fuit, et ob fidelitatem suam ab Aria Montano aliisque textui hebraeo et graeco tanquam versio interlinearis apposita fuit. Cetera eius opera sunt: «Thesaurus linguae sanctae seu Lexicon hebraicum», «Hebraicarum institutionum libri quatuor», «Isagoge ad sacras Litteras et ad mysticos Scripturae sensus», «Catena argentea in Pentateuchum».

Franciscus Vatablus († 1547), linguae hebraicae in universitate Parisiensi professor, scholia brevia et solidissima in s. Scripturam composuit et discipulis suis dictavit. Quia autem scholia ab editore infideli interpolata fuerunt, ut Calvinianis faverent, theologi Sorbonenses et inquisitores hispani eorum usum prohibuerunt, donec corrigerentur.

Adamus Sasbout († 1553), O. Min., scripsit commentarios in Isaiam et epistolas s. Pauli, quibus sibi ut theologus et interpres optimum nomen comparavit.

Isid. Clarius († 1555), O. S. B., libros Antiqui Testamenti ex hebraeo, libros Novi Testamenti e graeco vertit et scholiis exposuit; quod opus tamen, cum quosdam errores contineret, ab Ecclesia prohibitum fuit.

Franciscus Titelmann († 1557), O. Capuc., edidit Elucidationes et adnotationes utiles in Jobum, Psalmos, Canticum Cant., Evangelia s. Matthaei et s. Joannis, Epistolas s. Pauli et Epistolas catholicas.

Hieronymus Oleaster († 1562), O. Praed., in Consilio Tridentino regis Lusitaniae theologus, plura scripsit in s. Scripturam, e quibus typis prodierunt commentarii in Pentateuchum et Isaiam, sensum litteralem clare explanantes.

Sixtus Senensis († 1569), O. Praed., sua «Bibliotheca sancta», prima introductione in s. Scripturam, ut hodie vox usurpari solet, studia scripturistica non parum promovit. «Re vera in eo scribendo sese exhibuit, ut protestantici scriptoris (Rich. Montacutii) de Sixto iudicium faciam meum, virum plane doctissimum et si quis alius in Patribus versatissimum, immensi laboris scriptorem, diligentiae stupendae, lectionis variae et eruditionis admirandae».[2])

Andreas Masius († 1573), unus e Polyglottarum Antwerpiensium editoribus, commentarium edidit in librum Josue, mira eruditione refer-

---

[1]) *Pallavic.* Hist. Conc. Trid. VI, 17. n. 2.

[2]) *Cornely* S. J. l. c. pag. 693.

tum, qui tamen, quia quaedam minus recta continebat, Indici relatus est, donec corrigeretur.

Cornelius Jansenius († 1575), episcopus Gandavensis et Philippi II. in Concilio Tridentino theologus, scripsit opera docta et utilia: «Paraphrasin et adnotationes in Psalmos», Commentaria in Proverbia, Canticum Cant., Sapientiam, Ecclesiasticum, «Concordiam evangelicam», «Commentarium in Concordiam et totam historiam evangelicam».

Franc. Forerius († 1581), O. Praed., in Concilio Tridentino regis Lusitaniae theologus, posteaque a summo Pontifice adhibitus, ut missale et breviarium reformaret atque catechismum componeret, scripsit commentarios in librum Job et in Isaiam. Primus non prodiit typis; de altero protestans Rosenmüller testatur: «indagavit in singularum vocum proprias significationes et integrarum sententiarum sensum et nexum non minori diligentia quam iudicio».

Joannes Maldonatus († 1583), S. J., excellit suo «Commentario in quatuor Evangelia», qui propterea etiam saepe typis editus est. Minoris valoris sunt eius «Commentarii in praecipuos libros Veteris Testamenti (in prophetas maiores, in Psalmos, in Proverbia, Canticum Cant., Ecclesiasten, Sapientiam).

Alphonsus Salmeron († 1585), S. J., Concilii Tridentini theologus, commentarios scripsit in totum Novum Testamentum, qui magni aestimantur.

Franciscus Ribera († 1591), S. J., exposuit duodecim prophetas minores, Evangelium s. Joannis, Epistolam ad Hebraeos, Apocalypsin.

Lud. de Legionibus (Luis de Leon † 1591), O. S. Aug., hispanus celeberrimus, exposuit librum Job, Canticum Cant., Apocalypsin, et scripsit etiam « De los nombres de Christo » (De nominibus Christi) et «La perfecta casada» (in Prov. c. 31), ubi exegetam aeque doctum ac pium agit.

Card. *Franciscus Toletus* († 1596), S. J., a pluribus summis Pontificibus magni habitus, in criticam textus sacri investigationes instituit, quibus Sixtus V in edendo textu Alexandrino usus est. Exposuit quoque duodecim prima capita Evangelii s. Lucae, Evangelium s. Joannis, epistolam ad Romanos.

Gilbertus Genebrardus († 1597), O. S. B., notus est praesertim suo in Psalmos commentario. Vertit etiam Judaeorum quorundam expositiones in Canticum Cant. et in Joelem.

Benedictus Arias Montanus († 1598), O. S. Jac., praefectus fuit editorum Polyglottorum Antwerpiensium. Edidit etiam commentarios in aliquos utriusque Testamenti libros et «Antiquitatum iudaicarum libros novem».

Nicolaus Serarius († 1609), S. J., omnes fere A. Testamenti libros fuse explanavit et ex Novo Epistolas catholicas. Alii Societatis Jesu interpretes, qui hac periodo commentarios scripserunt, sunt: *Benedictus Pererius* († 1610), Card. *Robertus Bellarminus* († 1621), *Joannes Mariana* († 1624), *Casp. Sanctius* († 1628), *Jac. Tirinus* († 1636) et praesertim *Cornelius a Lapide* († 1637), qui integram s. Scripturam, libris Psalmorum et Job exceptis, fuse exposuit. *Joannis de Pineda* S. J. commentarius in librum Job a multis laudatur, *Jac. Bonfrerius* S. J. propter commentarios suos in Vetus Testamentum inter optimos exegetas collocatur.

Guilelmus Estius († 1613), universitatis Duacensis professor et cancellarius, Commentarios in epistolas Paulinas et septem catholicas edidit, qui optimis adnumerantur. Magni pretii sunt etiam eius «Adnotationes in difficiliora loca s. Scripturae».

Seraphinus Capponi († 1614), O. Praed., exposuit quatuor Evangelia, Pentateuchum et Psalmos. Commentarios in Psalmos sub finem vitae scripsit, adeo ut ultimum versiculum ultimo vitae die exposuerit (editi sunt Bononiae 1692 ss. in 4 vol. fol.).

Thomas Malvenda († 1628), O. Praed., ut Vulgatam defenderet, novam versionem ex hebraeo adornavit et scholiis illustravit, at non pervenit nisi ad Ezechielis cap. 16. Opus post auctoris mortem edidit *Thomas Turcus*, O. Praed., in 5 voluminibus fol.

Didacus Alvarez († 1635), O. Praed., praeter opera notissima «De auxiliis divinae gratiae» composuit etiam «Commentaria in Isaiam prophetam iuxta sensum litteralem et moralem».

Simon de Muis († 1644), linguarum orientalium in universitate Parisiensi professor edidit «Commentarium litteralem et historicum in omnes Psalmos et selecta Veteris Testamenti cantica», qui ideo est laudandus, quod textum hebraicum accurate exponat et rabbinorum expositiones non raro referat.

Steph. Menochius († 1655), S. J., ad exemplum aliquorum Societatis suae alumnorum s. Scripturam breviter exposuit.

Joannes Morinus († 1659), unus e Polyglottorum Parisiensium editoribus, magnum nomen sibi fecit praesertim editione Pentateuchi Samaritani et Targum Samaritani.

Joannes de la Haye († 1661), O. Min., ipse commentarios quidem non composuit, sed studium s. Scripturae promovit collectionibus ex aliis interpretibus, quarum tres edidit: «Bibliam Magnam», «Bibliam Maximam», «Biblia sacra cum selectis commentariis».

Bernardinus a Piconio († 1709), O. Min., exposuit Evangelia et Epistolas Paulinas, quod opus a Clemente XI. laudatum, in multorum s. Scripturae studiosorum manibus versatur tum ob scientiam tum ob pietatem, quam spirat.

Cherubinus a S. Joseph († 1716), O. Carm., conscripsit duo opera maioris momenti, in quorum primo, cui titulus est «Summa criticae sacrae», scholasticorum more disserit de Scripturarum nomine, conservatione et quasdam difficultates solvit; in altero, qui «Bibliotheca criticae sacrae» inscriptus est, res ad antiquitates Judaeorum, s. Scripturae versiones et editiones spectantes tractat.

Augustinus Calmet († 1757), O. S. B., non solum saeculi 18. optimus fuit interpres, sed aliis permultis etiam praeferendus est, eo quod s. Scripturam docte, plene sed nihilominus non prolixe exposuit. Commentarium eius in universam sacram Scripturam gallice scriptum *J. Dom. Mansi* latinitate donavit, quemadmodum et Dissertationes valde utiles, quas auctor operi suo adiecit. Scripsit etiam primum *Dictionarium biblicum,* in quo ordine alphabetico res s. Scripturae scitu digniores pertractat.

Eorum qui de S. Scriptura saeculo 19. opera composuerunt praecipui sunt: *Joannes Jahn* († 1816) *J. H. Kistemaker* († 1834), *J. Leon Hug* († 1846), *Car. Vercellone, O. Barn.* († 1868), *Fr. Xav. Patrizi S. J.* († 1881), *Ubaldus Ubaldi* († 1884), *A. M. Le Hir* († 1868), *J. B. Glaire* († 1872), *J. Th. Beelen* († 1884), *J. G. Herbst* († 1836), *B. Welte* († 1885), *J. M. A. Scholz* († 1852), *Fr. Xav. Reithmayr* († 1872), *Fr. Allioli* († 1873), *M. Aberle* († 1876), *Dan. B. Haneberg O. S. B.* († 1876), *Laur. Reinke* († 1879), *A. Bisping* († 1884), *P. Schegg* († 1885), *M. Wolter O. S. B.* († 1890), *Val. Thalhofer* († 1891), *Jos. Grimm* († 1896), *Gust. Bickell, C. Cl. Fillion, C. Gutberlet, G. Hooberg, Van Hoonacker, Fr. Kaulen, Th. J. Lamy, Melch. Mlcoch, Joan. Pánek, Fr. Pölzl, Aug. Rohling, Al. Schäfer, Bern. Schäfer, P. Schanz, L. A. Schneedorfer O. Cist., Ant. Scholz, Paul Scholz, Aem. Schöpfer, Fr. Vigouroux, Herm. Zschokke.*

E tempore recentissimo commemoranda sunt prae ceteris:

1. *Academia biblica* (L'École pratique d'Études bibliques) ab ordine s. Dominici Hierosolymis in conventu s. Stephani Protomartyris an. 1889 fundata, in qua ii qui exegetae sunt futuri linguas orientales omnesque disciplinas biblicas addiscere possunt;

2. *Revue biblique internationale,* quam praedictae Academiae professores dominicani edunt;

3. *Cursus Scripturae sacrae,* auctoribus R. Cornely, J. Knabenbauer, F. de Hummelauer aliisque Soc. Jesu presbyteris;

4. *Dictionnaire de la Bible,* curante Fr. Vigouroux;

5. *Biblische Studien,* series fasciculorum, in quibus Germaniae et Austriae exegetae catholici de quaestionibus biblicis scribunt.

CAPUT XVI.
DE INTERPRETATIONE PROTESTANTICA.

§ 73.

Praecipui interpretes protestantici usque ad ortum rationalismum.

Mart. Lutherus († 1546) primus se s. Scripturam intellexisse eiusque veram interpretandi rationem indicasse gloriatur.[1]) Reiecta omni Ecclesiae et Patrum auctoritate in s. Scriptura exponenda, eam in se claram esse defendebat; cum autem etiam eius inimici ex hac s. Scripturae claritate pro sua doctrina argumenta traherent et tamen Luthero inimici manerent, suam propriam persuasionem ut supremum principium statuit, indeque etiam s. Scripturae libros, qui huic persuasioni, praecipue eius opinioni de solius fidei sufficientia contradicerent, non ut divinos sed mere humanos consideravit. Quicunque ergo sacrorum Librorum interpretationem aggreditur, ante omnia nullo modo dubitet, solam fidem, absque operibus hominem iustificare.[2]) Ut Lutheri asseclae iis adversariis suae doctrinae, qui e s. Scriptura argumentantur, respondere sciant, eis ut regulam statuit, tunc contra s. Scripturam ad ipsum Christum appellare seu aliter et brevius: ad suam persuasionem.[3])

---

[1]) «Ich mag wohl sagen, dass so viel Bücher geschrieben und Doktores der Schrift gemacht sind, und kein Buch noch Doktor das Evangelium gepredigt hat.» (Walch. III. 453). «Es hat zuvor niemand gewusst, was das Evangelium, was Christus, was Taufe etc. sei. Summa: wir haben gar nichts gewusst, was ein Christ wissen soll. Alles ist durch die Papstesel verdunkelt und unterdrückt» (ib. XVI. 2013). «Sehet Gregorium an, wie derselbe Mann gaukelt» (ib. III. 1038). «Sehet die Bücher St. Hieronymi an, ich habe sie auch gelesen. Aber er meinet, er habe es wohl getroffen, führet prächtige Worte; aber es ist schlecht Ding und sind nur die Schalen von der Nuss, die Hülsen von der Erbse» (ib III. 1033). «Diese (August., Hieron.) lassen sich mit ihrer Lehre ansehen, dass es alles gut sei, was sie vorgeben, und streichen doch einem Dr . . in das Maul» (ib. III. 1033).

[2]) Ib. III. 2782. 2893.

[3]) «Wenn unsere Gegner die hl. Schrift geltend machen gegen Christus, so machen wir Christus geltend gegen die Schrift. Wir haben den Herrn, sie die Knechte, wir das Haupt, sie die Füsse oder die Glieder, die dem Haupte gehorchen und weichen müssen. Muss eines von beiden preisgegeben werden, Christus oder das Gesetz, so muss das Gesetz verloren gehen, nicht aber Christus» (Witt. Ausg I. fol. 147).

Ita protestantes conservativi et rationalistae habuerunt viam a Luthero indicatam. In commentariis suis Lutherus ad textum hebraeum quidem attendebat, at linguae illius non satis gnarus, vix aliquid notatu digni eruit.[1])

Calvinus († 1564) ad evitandas controversias «synodo verorum episcoporum» reliquit, de sensu s. Scripturae vero iudicare, ex quo patet, neque apud omnes protestantes «liberum examen» admissum fuisse. Constat etiam protestantes, quamquam ss. Patrum auctoritatem reiecerunt, *suorum patrum* auctoritatem quolibet momento accepisse.

Inter protestantes confessionis *Lutheranae* excelluerunt:

Joan. Gerhard († 1637). Exposuit Genesim, Deuteronomium, Evangelia, epistolas s. Petri. In suis locis theologicis docuit, explicationem regulandam esse ad normam «perpetuae sententiae, quae de unoquoque doctrinae capite in s. Scriptura proponitur.»

Mart. Geier († 1680) notus est praecipue suo commentario in Psalmos.

Abraham Calov († 1686) nomen sibi fecit commentario in Genesin et opere «Biblia illustrata», catena quadam in universam s. Scripturam.

Seb. Schmid († 1696) vertit integram s. Scripturam e textu originali iu linguam latinam et exposuit plures libros sacros.

E protestantibus, qui se *reformatos* appellant:

Joan. Drusius († 1616), linguarum orientalium peritissimus, scholia composuit in difficiliores textus s. Scripturae, quae etsi errores sectae illius redoleant, tamen eruditione et aequiore erga sanctos Patres iudicio excellunt.

Ludov. de Dieu († 1642) scripsit breves adnotationes in omnes fere libros s. Scripturae. Investigavit sensum litteralem, de doctrina ipsa minus curans.

Joan. Cocceius (Koch † 1669) falsa typologia invecta, Christum Dominum ubique in A. Testamento praefiguratum vidit. Commentarii eius fere ad omnes libros sacros se extendunt.

Campegius Vitringa († 1722), Cocceji discipulus suo in Isaiam commentario apud Protestantes celeberrimus fuit.

Ex *Arminianis* et *Socinianis:*

Hugo Grotius († 1645) scripsit «Adnotationes in Vetus et Novum Testamentum», in quibus se ex historia profana omnia attulisse affirmat,

---

[2]) Cf. *J. Bachmann*, Alttestamentliche Untersuchungen, Berlin 1894 pag. 108: «Das Hebräische war eben nicht seine Sache, — drum hielt er sich an den Text der Vulgata und Septuaginta».

quae historiam sacram explicent atque confirment. At rationalismo viam paravit, quia nullum vaticinium messianicum directum agnoscebat, quae autem typice ad Christum referebat, mera accommodatio erant.

Joan. Clericus († 1736) fuit unus e rationalismi praecursoribus. In commentariis suis doctrinam arminianam defendit, inspirationem impugnat, vaticinia messianica ab aliis admissa negat, miracula ut eventus mere naturales explicat.

In genere dicendum est, praesertim Socinianos in interpretatione s. Scripturae absurde processisse, ut suum systema e s. Scriptura confirmarent.

Principales commentarii protestantici inveniuntur collecti in opere «Critici sacri» (Londini 1660; Amstelodami 1698).

Brianus Walton († 1658), Anglus, celeberrimus evasit editione *Polyglottorum Londinensium,* in quibus textum hebraicum, samaritanum, chaldaicum, graecum, syriacum, arabicum, aethiopicum, persicum, latinum impressit, doctas praefationes de singulis textibus praemisit et dictionarium adiecit. Opus hoc quod a pluribus adiutus [1]) iuris publici fecit, hucusque omnium Polyglottorum perfectissimum est.

§ 74.

Iuterpretes protestantici post ortum rationalismum.

Analogiam fidei, quam iam Arminiani, Sociniani et quidam alii interpretes reiiciebant, omnino respuerunt exegetae protestantici qui deistarum anglicorum et pseudophilosophorum gallicorum systemata sequebantur. Hi, negata revelatione, vaticinia et miracula quoque negare coacti sunt. Antiquum Testamentum eis propterea nihil aliud est, quam litteratura profana Judaeorum, Novum autem Testamentum est collectio librorum de Christo agentium, de Christo tamen non Deo sed mero homine, etsi maiori sapientia et sanctitate praedito quam ceteri homines. Hoc modo principium protestantismi, hucusque «analogia fidei», «doctrina librorum symbolicorum» etc. limitatum, in ultimis suis consequentiis apparuit.

Joan. Sal. Semler († 1791) inter protestantes germanicos primus hunc rationalismum biblicum professus est. Ut libros N. T. exponeret, *systema accommodationis* invenit, iuxta quod Christus et Apostoli saepe Judaeorum opinioni se accommodassent. Ut ergo vera Christi doctrina a falsa Judaeorum discernatur, primum ex scriptis Philonis, Flavii Josephi aliorumque colligatur, quaenam Judaei docuerint; reliqua Christo attribuenda esse censuit.

---

[1]) Textum aethiop. et partem vocabularii correspondentem elaboravit *J. M. Wanslebius,* qui postea ad fidem catholicam conversus, ordinem S. Dominici amplexus est.

Sed in hoc rationalismus non stetit. Mox enim alia systemata inventa sunt, ut morale *Kantii* († 1804), psychologicum *H. E. G. Pauli* († 1851), mythicum *D. Fr. Straussii* († 1875), quibus Vetus Testamentum et Evangeliorum doctrina labefactarentur. Sed cum Christi facta et doctrina in Actibus et Epistolis Apostolorum relata inveniantur, haec quoque innocua reddenda erant, ad quod opus *Ferd. Christ. Baur* († 1860), Tubingensis professor se accinxit, scholam fundans, quae «neo-tubingensis» appellatur. Actuum Apostolorum et Epistolarum authentiam negavit, ea exeunte saec. 2 post Chr. scripta asserens. Inter primos christianos, ex eius mente, quidam fuerunt, qui Messiam quidem venisse dicerent, at leges mosaicas quoque observandas crederent; hi Christiani Petrini nuncupantur. Praeter hos alii erant, Paulini, qui veram de religione Christi universali ideam habebant. Huic inter primos Christianos liti libri Novi Testamenti originem suam debent. Apocalypsis a iudaizantibus originem suam trahit. Paulus quoque scripsit quatuor epistolas, in quibus iudaizantes impugnat. Habuit utraque pars etiam suum Evangelium, quod tamen non est identicum cum Evangeliis hodiernis. Libri omnes, praeter nominatos, scripti sunt post Apostolorum mortem, ut illae duae partes Christianorum unirentur.

Omnium horum rationalistarum nomina et opera referre, non est nobis in animo. Sufficiat praeter iam commemoratos principales quosdam nominatim producere: *Sigm. Jac. Baumgarten* († 1757); *Joh. Dav. Michaelis* († 1791); *J. G. Rosenmüller* († 1815); *F. Fr. Rosenmüller* († 1835); *Gottf. Eichhorn* († 1827); *Guil. Gesenius* († 1842); *C. W. Justi* († 1846); *L. de Wette* († 1849); *Fried. Bleek* († 1859); *Jos. Bunsen* († 1860); *Herm. Hupfeld* († 1866); *Henr. Ewald* († 1875); *Aug. Knobel* († 1863); *Fried. Tuch* († 1867); *Ferd. Hitzig* († 1875); *Justus Olshausen* († 1882); *A. Kuenen* († 1891); *E. Reuss* († 1891); *Aug. Dillmann* († 1894); *J. Wellhausen*; *B. Stade; T. K. Cheyne; C. H. Cornill: B. Duhm; W. Nowack; Frd. Baethgen.*

Conservativis adnumerantur:

Herm. Olshausen († 1839); *H. A. Hävernick* († 1845); *R. Stier* († 1862); *C. Aug. Auberlen* († 1864); *E. W. Hengstenberg* († 1869); *A. Tholuck* († 1877); *H. Guerike* († 1878); *C. Fr. Keil* († 1888); *Fr. Delitzsch* († 1890).

	DATE DUE		